DE THEOPHILINAE QUAE FERTUR IUSTINIANI INSTITUTIONUM GRAECAE PARAPHRASEOS COMPOSITIONE.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HENRICUS BROKATE

BREMENSIS.

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXXVI.

Aulae Vimariensis officina typographica.

Theophilinam quae fertur Institutionum Iustinianarum Paraphrasin graecam pauci hodie lectitant iureconsulti, quoniam, quae ad latinas Institutiones nova addit Paraphrasis, pleraque omnia paulum conferunt ad argumentum iuridicum locupletandum, paulum ad verborum latinorum formam certius constituendam; hanc autem emendandi operam post P. Kruegeri et Ed. Huschkii curas inutilem fere arbitrantur hodie tantum non omnes. Philologis vero eo acrius studium in Paraphrasi collocandum esse existimo, quo minor est numerus subsidiorum graece conscriptorum, quae ipsarum Institutionum recensioni inservire possint, quorum Paraphrasis sola fere in censum venit. Accedit, quod tam peculiarem formam Paraphrasis servat nec pauca in ea insunt, quae ex ipsis Institutionibus Iustinianis vertendo non videantur effici potuisse, ut vel propterea sit operae pretium grammatica studia in ea ponere. Attamen factum est, ut usque ad proximum ab hoc annum neque editor ullus ultra Reitzianam Paraphraseos editionem anno 1751 publici iuris factam et anno 1836 a Rhalle iterum publicatam progrederetur neque quisquam in compositionem eius et fontes dedita opera inquireret. Incuria illa ac neglegentia quam foede grassatae sint, nunc patet E. C. Ferrinii industria, qui non solum novam editionem[1]) curavit ad librorum manu scriptorum fidem castigatam, sed etiam primus quaestionem, quam antea nonnulli leviter et quasi in transitu tetigerant, accuratius persecutus est, quae inter

[1]) Institutionum graeca Paraphrasis Theophilo Antecessori vulgo tributa ed. E. C. Ferrini (Libri I et II Berolini 1884, libri III pars prior ibid. 1885).

Paraphrasin et Gai Institutiones ratio intercedat. In iis enim, quae in Paraphrasi plura inveniuntur quam in Institutionibus Iustinianis, multa inesse Ferrinius contendit, quae cum in his desiderentur, apud Gaium legantur, nonnisi ex graeca Gaianarum Institutionum versione originem ducere possint. Ac primum quidem magnum numerum locorum ad iuris historiam pertinentium congessit[1]), quos ad verbum ex Gaio haustos esse docuit. Quos quamquam non omnes qui huc referantur aeque idoneos esse puto, tamen fieri non potest, quin hanc coniecturam et ingeniose et probabiliter factam esse confiteamur.

Minus feliciter res cessit Ferrinio, cum per totam Paraphrasin Gaianae originis vestigia deprehendisse sibi videretur. Praeter locos enim ad iuris historiam pertinentes Ferrinius ampliorem locorum segetem colligit, in quibus Paraphrastes cum Gaianarum Institutionum vel singulis vocabulis vel formis grammaticis vel dicendi genere vel rebus ad argumentum iuridicum (etiam praeter locos illos ad iuris historiam spectantes) pertinentibus adeo congruat, cum ab Iustiniano dissentiat, ut universae Paraphrasi Gaianas Institutiones graece factas pro fundamento fuisse statuendum sit. Et haec fere statuit[2]): „*τὸ κατὰ πόδας* Gai Paraphrasi pro fundamento fuisse idque, cum Iustinianus Institutiones suas promulgasset, ad novum latinum textum, ut melius fieri potuerit, accommodatum esse.“ Quorum verborum si recte interpretatus sum sententiam, nihil aliud dicere vult Ferrinius nisi hoc: graecae illius Paraphraseos auctorem Gai magis quam Iustiniani Institutionibus usum esse ita, ut primum, ubicumque licebat, *τοῦ κατὰ πόδας* verba usurparet, deinde quae propter ius mutatum aboleverant, omitteret vel immutaret, quae nova accesserant, adderet. Et fuisse, quod dicit, Iustiniani aetate Byzantii graecam

---

[1]) Rendiconti del R. Istituto Lombardo 16, 569 sqq. Conf. Ferrinii verba haec: „Teofilo si servì de' Commentari di Gaio quasi esclusivamente come fonte per la storia del diritto.“

[2]) In praefatione editionis Paraphraseos, pag. XIII.

Gai versionem *κατὰ πόδας* factam etsi certis argumentis grammaticis ex ipsa Paraphrasi petitis comprobari non potest[1]), verisimillimum tamen est, cum vix fieri potuerit, quin Gaianarum Institutionum, quippe quae per multos annos praeter ceteras scholarum usui inservirent, ulla interpretatio graeca Byzantii fieret. Vbi scholas tunc graeca lingua habitas esse cum aliunde constat tum inde, quod ceteri libri, qui scholarum usui inserviebant, omnes graece conscripti sunt. Atque plena latinae linguae scientia quam rara iam tunc in orientalibus imperii Romani partibus fuerit et quam saepe, si quid esset accuratius explicandum vel ad omnium intellectum adaptandum, graeca lingua usi sint, eis quae Inst. III 7, 3 leguntur, optime illustratur: „sed nostra constitutio, quam pro omnium notione graeca lingua . . . . composuimus."

Sed haec hactenus. Quae vero *τῷ κατὰ πόδας* Gai ad Paraphraseos compositionem tribuit Ferrinius, nimis confidenter dicta esse mihi quidem persuasum est, quamquam prima specie haec coniectura subtilitate commendari videtur atque aliorum hominum doctorum suffragio comprobata est[2]). Qua coniectura cum de Paraphraseos fide et auctoritate ad crisin in Iustinianis Institutionibus exercendam multum detrahatur — id quod expressis verbis Ferrinius dicit[3]): „non si potrà sempre con tutta sicurezza usare Teofilo come sussidio per la critica delle Istituzioni imperiali" — iam ideo operae pretium esse duco in rationem, quae Paraphrasin inter et Gai Institutiones intercedat, denuo inquirere et quantum Iustinianus, quantum Gaius ad Paraphraseos compositionem contulerit, ostendere. Ad quam quaestionem tractandam commovit

---

[1]) Quod quominus fiat, exiguus locorum, quos ex ipso Gaio in Paraphrasin translatos esse certo constat, numerus prohibet. Accedit quod iureconsultorum illius aevi graece scribentium tam si non aequabile at simile est dicendi genus, ut diiudicari nequeat, utrum ab eodem auctore omnes Paraphraseos partes conscriptae sint necne.

[2]) cf. Ferrini, Inst. graeca Paraphrasis, praef. pag. XII.

[3]) Rendiconti del R. Istituto Lombardo 16, l. c.,

me inprimis auctoritas Guilelmi Studemundi praeceptoris mei et Pauli Kruegeri[1]), hominum in hac litterarum parte omnibus fere aequalibus praestantium, quorum et Gaianarum et Iustinianarum Institutionum editionibus in citando latino contextu usus sum. Paraphraseos graecae libros I et II et libri III partem priorem ad Ferrinianae editionis, libri III partem posteriorem et librum IV ad Reitzianae editionis fidem citavi.

§ 1.

Dudum constat tresviros illos, qui Iustinianas Institutiones composuerint, hausisse in conficiendis illis praeter nonnullos Gai aliorumque auctorum libros[2]) plurima ex Gaianis Institutionibus, ita ut Iustinianae ex variis excerptis quodammodo consutae videantur, quorum maximus numerus ex Gaianis Institutionibus profluxerit. Itaque veri vix simile videtur Paraphrasten — quod Ferrinius vult — eandem quam Institutionum Iustinianarum compositores operam iterum subiisse, cum illorum triumvirorum opera ei frui liceret.

Fingamus tamen, Ferrinio obsecuti, Paraphraseos fundamentum posuisse auctorem *τὸ κατὰ πόδας* Gai iis, quae ut mutarentur adderentur omitterentur res ipsa postularet, mutatis additis omissis: sequitur, ut iis locis, quos Iustinianarum Institutionum compositores ita ex Gaio hauserunt, ut singulas voculas vel minutias ad formas grammaticas spectantes variarent, exspectes fore ut cum Gaio magis quam cum Iustiniano consentiat Paraphrasis. Neque enim verisimile est in accommodando graeco illo *κατὰ πόδας* ad novum textum latinum adeo huius rationem habuisse Paraphrasten, ut, ubi ampliores graeci fundamenti partes ad verbum transferre liceret, etiam in singulis latinis vocibus, quae fortuito atque ita, ut sententia nequaquam variaretur, a Gai verbis discreparent, secundum Iustinianum orationem reformaret. Itaque si nobis contigerit ut ostendamus maxi-

---

[1]) Krit. Vierteljahrsschrift, novae seriei vol. VII fasc. 4 a. 1885.

[2]) cf. e. g. Adolfi Friderici Rudorff „Römische Rechtsgeschichte“ vol. I p. 307 sq.

mam copiam eorum esse locorum, quibus Iustinianae Institutiones et cum his accurate consentiens Paraphrasis Theophilina a Gaianorum verborum forma ita recedant, ut sententia ipsa non commutetur: apparebit ad Paraphraseos compositionem Gaianis Institutionibus non tantam vim, quantam tribuerit Ferrinius, vindicandam esse.

Comparatis igitur inter se Paraphrasi et Gaianis Institutionibus et Iustinianis Institutionibus in prima commentationis meae parte non Gaianas, sed Iustinianas Institutiones Paraphrasi pro fundamento fuisse et Iustinianas Institutiones, quantum pro tota Paraphraseos indole licuerit, ad verbum translatas esse in graecum sermonem ita demonstrare conabor, ut paragraphis 2 et 3 quidem locos, quibus Paraphrasi cum Iustiniani libris mirum in modum ita convenit, ut a Gaio dissentiat, colligam et de unoquoque, ubi opus fuerit, longius disseram, paragrapho 4 autem de eis agam locis, qui huic sententiae repugnare prima specie videantur, quos revera haud discrepare ab opinione mea ostendam.

§ 2.

Ad priorem propositi mei partem exsequendam inprimis idonei sunt ei loci, qui et in Paraphrasi et in Gai et Iustiniani Institutionibus leguntur, quorum est maximus numerus. Atque cum totus graecae orationis habitus necessario effecerit, ut a latini sermonis proprietate aliquotiens longius discederetur, cum praesertim Paraphraseos magistralem in modum conscriptae et latiore legis interpretatione amplificatae prorsus alia sit indoles dispositioque atque Institutionum latinarum brevem linguae forensis formam magis imitantium, non tam in toto verborum circuitu et compositione quam in singularum vocum locutionumque usu adfinitates, si quae sunt, indagandae erunt. Quas adfinitates inter Paraphrasin et Institutiones ne quis aut casu aut ita ortas esse obiciat, ut Paraphrastes Gai verba parum apte dicta emendaret, ubicumque opus esse videbitur, eiusmodi obiectiones refellere conabor.

Atque primum quidem eos afferam locos, e quibus recte

me iudicasse evidenter appareat; de iis, qui minoris momenti videantur, paragrapho 3 agam. Sed de singulis iam dispiciamus.

1) Iust. I 3, pr.: *summa itaque divisio de iure personarum haec est, quod, ...*

Par. ibid.: *ἡ τοίνυν τῶν προσώπων ἄκρα διαίρεσίς ἐστιν αὕτη, ὅτι . . . .*

G. I 9: *et quidem summa divisio de iure personarum haec est, quod . . . .*

Coniunctione *τοίνυν* cum alibi non promiscue *itaque* et *quidem* Paraphrastes reddiderit, sed accurate inter illas coniunctiones latinas discreverit, adfinitas, quae inter Paraphrasin et Iustinianas Institutiones intercedit, casui non est tribuenda. Ita autem inter illas coniunctiones discernitur, ut pro *itaque* vel eiusdem notionis particulis (veluti *igitur, ergo, ideo*) aut *τοίνυν* legatur (cf. I 9, 3. II 1, 1. 12, pr. III 27, 1. IV 7, 1) aut *διό* (cf. I 24, 1. II 1, 2. 1, 36. III 19, 11. IV 3, 4) aut *διὰ τοῦτο* (cf. III 6, 9. 19, 12) aut *ὅθεν, ἐντεῦθεν* (cf. II 1, 31. III 1, 3. IV 2, pr.) aut (rarius) *οὖν, ὥστε οὖν, τοιγαροῦν* (cf. I 13, 3. II 1, 37. 3, pr. III 1, 11. 2, 5), pro *quidem* plerumque *μέν* (cf. I 10, 9. II 1, 22. 7, 3. 19, 6. III 1, 2ª. 19, 4. IV 1, 19. 11, 4), rarius *δέ* (I 12, pr.) vel *μὲν οὖν* (II 1, 1), nusquam *τοίνυν*.

2) Iust. I 8, 2: *sed hoc tempore nullis hominibus, qui sub imperio nostro sunt, licet sine causa legibus cognita et supra modum in servos suos saevire.*

Par. ibid.: *σήμερον δὲ οὐδενὶ ἀνθρώπων ὑπὸ τὴν Ῥωμαϊκὴν τελοῦντι βασιλείαν ἔξεστι δίχα αἰτίας νόμοις ἐγνωσμένης ἀναιρεῖν τὸν ἴδιον οἰκέτην, ἀλλ᾽ οὐδὲ ἀμέτρως κατ᾽ αὐτοῦ χαλεπαίνειν.*

G. I 53: *sed hoc tempore neque civibus Romanis nec ullis aliis hominibus qui sub imperio populi Romani sunt, licet supra modum et sine causa in servos suos saevire.*

Et Gai verborum ordo in Paraphrasi et in Institutionibus ita mutatus est, ut primo loco *sine causa, supra modum* secundo legatur, et Iustiniani locutio *legibus cognita* ad

verbum graece expressa, cum verbum graecum *γιγνώσκειν* in hac verborum coniunctione minime frequens sit neque in similibus Paraphraseos locis, ubi in latino textu verbum *cognoscere* deest, eiusmodi additamentum usquam compareat.

3) Iust. I 15, 3: *sed adgnationis quidem ius omnibus modis capitis deminutione plerumque perimitur.*

Par. ibid.: *ἀλλὰ τὸ μὲν τῆς adgnatíonos δίκαιον πάσαις ταῖς capitis deminutíosin ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον ἀναιρεῖται.*

G. I 158: *sed agnationis quidem ius capitis deminutione perimitur.*

Verba *omnibus modis* quam inepte addita sint in Iustinianis Institutionibus, apparet; Theophilus haec ita vertit, quasi in latino exemplari exstarent verba *omnibus modis capitis deminutionis.* Alia est condicio adverbii *plerumque,* quod in Iustinianis Institutionibus propter ea quae leguntur in Iustiniani Cod. VI 58, 11 addita esse suspicatur Paulus Krueger, quem de hoc loco consului.

Accedit, quod etiam in eiusdem paragraphi fine Iustiniani illud: *naturalia vero non utique* ad verbum in Paraphrasi expressum est: *τὰ δὲ φυσικά, τουτέστι τὰ cognaticá, οὐ πάντως,* cum *utique* vel simile adverbium Gai commentariis desit.

4) Iust. II 9, 3: *sed si heres institutus sit, non alias nisi iussu vestro hereditatem adire potest.*

Par. ibid.: *εἰ γὰρ ὁ ἐμὸς οἰκέτης ὑπό τινος γραφῇ κληρονόμος, οὐχ ἑτέρως ταύτην κτᾶσθαι δύναται, εἰ μὴ κατὰ κέλευσιν ἡμῶν aditeúsῃ.*

G. II 87: *et ideo si heres institutus sit, nisi nostro iussu hereditatem adire non potest.*

Non verisimile mihi videtur Paraphrasten, si re vera Gai Institutionibus quasi fundamento usus esset, sua sponte *ἑτέρως* addidisse, cum alibi *non nisi* semper ita interpretatus sit, ut non adderet adverbium *ἑτέρως*: cf. II 20, 23: *nisi ipse . . . . optaverat, ... non transmittebat (εἰ*

μὴ . . . . ἐπιλέξηται . . . . οὐ διαβαίνει); II 3, 3; III 19, 26. 19, 27.

5) Iust. II 19, 2: *opus est, ut pater eius vivo patre suo desierit suus heres esse aut morte interceptus aut qualibet alia ratione liberatus potestate.*

Par. ibid.: . . . . . *ἢ ἑτέρῳ οἱῳδήποτε τρόπῳ* . . . .

G. II 156: . . . . *aut qualibet ratione.* . . . .

Ceteris Paraphraseos locis, ubi singulas alicuius rei causas vel condiciones sequitur *aut qualibet ratione* vel simile aliquid, nisi iam Iustiniani textui pronomen *alius* inest, frustra quaeras adiectivum *ἕτερος*. Argumenta ex multis duo afferam: IV 6, 23 *aut denique quolibet modo* = *ἢ ἁπλῶς οἱῳδήποτε τρόπῳ*; IV 7, 2ª *aut cuilibet negotiationi* = *ἢ οἱασδήποτε πραγματείας*. Neque video, cum alibi accuratissime in his verbis transferendis latini auctoris vestigia premat, cur hoc uno loco Paraphrastes a consuetudine aberrasse existimetur. Accedit quod adiectivum *alia* in Iustinianis Institutionibus hoc loco (II 19, 2) adeo absurde adiectum videtur esse.

6) II 20, 25, ubi de legatis vel fideicommissis incertae personae relinquendis agitur, verba, quibus ita legatur, apud Iustinianum hoc modo adnectuntur praecedentibus: *veluti si quis ita dicat.* Paraphrastes ad verbum interpretatur: *οἷον, ἐάν τις οὕτως εἴπῃ.* Apud Gaium vero legitur (II 238): *velut cum ita legatum sit.*

In eadem eiusdem tituli paragrapho alterum nobis argumentum offertur. Legitur enim:

7) Iust.: *quicumque filio meo in matrimonium filiam suam collocaverit, ei heres meus illum fundum dato.*

Par.: . . . . *λαμβανέτω παρὰ τοῦ ἐμοῦ κληρονόμου τόνδε τὸν ἀγρόν.*

G. . . . . . *ei heres meus X milia dato.*

Nec totius enuntiati sententia nec legis vigor mutatur, sive de pecunia agitur sive de agro.

Accedit, quod ceteras incertae personae legandi species

a Gaio hoc loco commemoratas omnes neglexit Paraphrastes, quamvis haud abhorrere eum ab huiusmodi specierum multitudine alii loci nos doceant: cf. III 19, 2. 19, 18; IV 6, 1 sqq., ubi ad species in Iustiniani Institutionibus allatas sua sponte alias multas addit.

Ac ne illud quidem verisimile existimo, futurum fuisse, ut Paraphrastes, si hoc loco Gai auctoritatem secutus esset, in illo huius paragraphi enuntiato: „*libertas quoque non videbatur posse incertae personae dari, quia placebat nominatim servos liberari*“ legem Fufiam Caniniam de servis nominatim exheredandis a Gaio nominatam, omissam ab Iustiniano, silentio praeteriret. Quin etiam interdum, etsi raro, legis alicuius vel edicti nomen Paraphrastes ipse adiecit, quo latinus textus et Iustiniani et Gai carebat: cf. quae II 6, 14 de Serviana actione (*μήτε τὸν credítora τὴν Seruianὴn .... ἔχειν*) refert.

Denique etiam eius legandi speciei, quae sub finem huius paragraphi scripta est, verba cum Iustiniani textu optime consentiunt, aliena sunt a Gaio. Ita enim se excipiunt:

Iust.: *ex cognatis meis qui nunc sunt si quis filiam meam uxorem duxerit, ei heres meus illam rem dato.*

Par.: *ἐκ τῶν νῦν ὄντων μοι συγγενῶν ἐάν τις τὴν ἐμὴν θυγατέρα λάβῃ πρὸς γάμον, λαμβανέτω παρὰ τοῦ ἐμοῦ κληρονόμου τόδε τὸ πρᾶγμα.*

G.: *ex cognatis meis qui nunc sunt qui primus ad funus meum venerit, ei X milia heres meus dato.*

8) Iust. II 23, 2: .... *opus esse, ut aliquis recto iure testamento heres instituatur* ....

Par. ibid.: .... *τὸν diréctωs ἐν τῇ διαθήκῃ γραφόμενον κληρονόμον* ....

G. II 248: .... *ut aliquis heres recto iure instituatur* ....

Cum verborum ordo hic notandus est — in Iustinianis enim Institutionibus et in Paraphrasi verba *recto iure* inter *aliquis* et *heres* inseruntur, apud Gaium leguntur post *heres*

— tum verbo *testamento*, quod Paraphrastae cum Iustiniano commune est, caret Gaius. At dixerit quispiam discrepare a graeci sermonis consuetudine *γραφόμενον κληρονόμον* dictum non addito eo loco, quo scriptus sit heres, ideoque Paraphrasten vel eum, qui *τὸ κατὰ πόδας* Gai conscripserit, Gai verba videri mutasse. Audio. Sed multi nos ipsius Paraphraseos loci docent forensi eius temporis sermoni familiarem fuisse illius modi verborum conexum: cf. II 23, 11 *γράψας κληρονόμον*; II 23, 3 *γραφεὶς κληρονόμος*; II 25, 2. III 1, 7. 7, 4.

Eadem ex paragrapho licet multa alia argumenta petere. Minus illud est, quod in Paraphrasi Iustinianum secuta legitur: *ἡ διαθήκη, ἐν ᾗ μηδεὶς γέγραπται κληρονόμος (testamentum, in quo nemo heres instituitur)* omissis verbis *recto iure*, quae apud Gaium exstant, quamquam in deliciis fuisse Paraphrastae copiosiorem orationem constat. Maius hoc est: In citanda enim legandi verborum specie is, qui hanc Iustinianarum Institutionum partem componebat, his usus est verbis: *rogo te, L. Titi, ut, cum primum possis . . . . reddas, restituas.* Eadem in Paraphrasi leguntur: *ἀξιῶ σε, ὦ* Λúcie Títie, *ἵνα ἡνίκα πρῶτον δυνηθῇς κτλ.* Contra Gaius (II 250): *rogo te, L. Titi, petoque a te etc.* Hunc, qui in Gai verbis *rogo* et *peto* inest, pleonasmum non consulto a Paraphrasta evitatum esse, neque abhorruisse hunc ab una notione duobus verbis reddenda statim eis, quae in fine huius speciei sequuntur, consentaneum est: ubi synonyma Iustiniani verba *reddas, restituas* Paraphrastes interpretatus est: *ἀποδώσῃς καὶ ἀποκαταστάσῃς*: cf. etiam III 14, pr. *τῆς αὐτῆς φύσεως καὶ ποιότητος.*

9) Sequitur eiusdem paragraphi aliud argumentum:

Iust.: *vel pure vel sub condicione.*

Par.: *καὶ πύρως καὶ ὑπὸ αἵρεσιν.*

G. II 250: *vel sub condicione vel pure.*

Quodsi quis dicat consulto illum Gai verborum ordinem immutatum esse videri, quia logica ratio eum minus commendet: velim hoc consideret, in aliis huiusmodi formulis

Paraphrasten ab usitato verborum ordine invertendo non abhorruisse: veluti I 14, 5, qui locus apud Gaium omnino non occurrit, apud Iustinianum legimus: *filiabus suis vel filiis,* quae verba eodem ordine observato Paraphrastes sic interpretatur: *ἑαυτοῦ θυγατράσιν ἢ τοῖς ἰδίοις υἱοῖς* et in eadem paragrapho: *postumae vel postumo* = *ταῖς postúmais καὶ τοῖς postúmois.* Idem soloecismus recurrit II 18, 1: *soror autem et frater* = *ἀδελφὴ δὲ καὶ ἀδελφός*, cum alibi haec cognationis nomina eo se excipiant ordine, ut virilis sexus personae praecedant personis feminini sexus.

10) Iust. II 23, 5: *post quod senatusconsultum* [Pegasianum] *ipse heres onera hereditaria sustinebat.*

Par. ibid.: *μετὰ δὲ τοῦτο τὸ δόγμα ὁ κληρονόμος μόνος ὑπέκειτο τοῖς βάρεσιν.*

G. II 254: *per quod senatusconsultum ipse heres ....*

Nihil sane refert, utrum *post* legatur an *per;* atque fortasse non deerunt, qui aut *post* pro *per* Gaio reddendum esse censeant, cum praesertim propter similia scripturae compendia hae praepositiones facillime in codice Gai rescripto Veronensi inter se permutari potuerint (conf. Studemundi Apographum pag. 284 sq.) aut casui tribuant, quod Paraphrastes *μετά* pro *per* substituerit. At ceteris locis, quibus idem vel similis verborum conexus invenitur, nusquam praepositio *μετά* est, sed aut *διά* (cf. I 11, 3) aut *ἐκ* (cf. III 9, 2) aut *ὑπό* (cf. III 1, 9) aut dativus quem vocamus instrumenti (cf. I 20, 5); neque igitur probabile est tam exiguam et a suo ipsius dicendi genere alienam immutationem Paraphrasten, si *τὸ κατὰ πόδας* Gai ante oculos haberet, consulto effecisse.

11) Iust. III 1, 6: *cum filius filiave et ex altero filio nepos neptisve extant, pariter ad hereditatem vocantur.*

Par. ibid.: *Τίτιός τις ἔχων υἱὸν ὑπεξούσιον ἤγουν θυγατέρα καὶ ἀπὸ υἱοῦ προτελευτήσαντος ἔκγονον ἢ καὶ ἐκγόνην κτλ.*

G. III 7: *Igitur cum filius filiave et ex altero filio nepotes neptesve extant etc.*

Iustinianus igitur et Paraphrastes in illis cognationis gradibus exprimendis singulari numero usi sunt, cum Gaius primo loco ipse singularem usurpet, secundo pluralem. Quam rem non nihili aestimandam neque casui tribuendam esse ea, quae statim sequuntur, satis ostendunt; nam sive singularis eiusmodi nominum sive pluralis in latino textu legitur, accurate solet Paraphrasis cum eo consentire.

Neque tamen tantam huic rei vim tribuerem, nisi etiam in ceteris, quibus in hac paragrapho Iustinianae et Gaianae Institutiones inter se differunt, omnibus secundum illas Paraphrastes orationem conformasset. Veluti omittunt et hic et Iustinianus inter verba *in patris sui locum* et *succedere* id, quod Gaius addiderat, *portionemque;* pro Gai verbis *nepotes neptesve* uterque *nepotes neptesque* (*τοὺς ἐκγόνους καὶ τὰς ἐκγόνας*) praebet; pro *simul vocantur* (sic Iust., *ἅμα κληρονομοῦσιν* Par.) *simul omnes vocantur ad hereditatem* exstat apud Gaium. Quae quamvis singula non magni momenti videantur, universa tamen quin sententiae meae aliquod subsidium ferant, non dubito.

12) Iust. III 10, 1: *ecce enim cum pater familias sese in adrogationem dat, omnes res eius corporales et incorporales .... adrogatori .... adquirebantur.*

Par. ibid.: *ἰδοὺ* ⟨*γὰρ*⟩ *ἐάν τις αὐτεξούσιος ἑαυτὸν εἰς ἀδρογατίωνα παράσχῃ, πάντα τὰ πράγματα αὐτοῦ, σωματικὰ καὶ ἀσώματα ...., τῷ ἀδρογάτωρι πάλαι μὲν προσεπόριζε.*

G. III 83: *etenim cum pater familias se in adoptionem dedit, ... omnes eius res incorporales et corporales .... patri adoptivo .... adquiruntur.*

Quod contra Gai *adoptionem* in verbis *adrogatio* et *ἀδρογατίων* Paraphrasis et Iustinianae Institutiones consentiunt, haud ita magni aestimo, quoniam *adrogatio* hoc quidem loco aptius dictum est (cf. Iust. I 11, 1: *imperatoris auctoritate adoptamus eos easve, qui quaeve sui iuris sunt. quae species adoptionis dicitur adrogatio;* et hic quidem de patre

familias, i. e. de sui iuris persona, agitur) ideoque Paraphrastes consulto emendasse Gai textum videri potest. Multo magis id animadvertendum est, quod et in huius paragraphi initio verbum *ecce* graece redditum est (ἰδού) et ordo, quo verba *corporales* et *incorporales* sese excipiunt, alius est in Paraphrasi et Iustinianis Institutionibus, alius apud Gaium.

Ut de priore argumento prius disseram, multis quidem Paraphraseos locis interiectionem ἰδού deprehendes, ubi latino textu non flagitabatur, cum multo acrius et concitatius, si cum Institutionum latinarum siccitate compares, Paraphraseos genus dicendi videatur et paene enarrationis vel recitationis instar esse: nusquam vero ἰδού pro latina coniunctione *etenim* substitutum est, quae ubique graeco vocabulo γάρ redditur: cf. II 1, 31. 9, 2. III 1, 14. 2, 4. 10, 2. IV 6, 19.

De altero argumento cf. ea quae pag. 12 sq. de verbis *pure vel sub condicione* exposui. Etenim hic verborum ordo: *res corporales et incorporales* etiam logica ratione commendatur.

13) Iust. III 14, pr.: *quas res .... in hoc damus, ut accipientium fiant et quandoque nobis non eaedem res, sed aliae eiusdem naturae et qualitatis reddantur.*

Par. ibid.: .... ἕτερα τῆς αὐτῆς φύσεως καὶ ποιότητος ....

G. III 90: .... *aliae eiusdem naturae reddantur.*

Accuratior illa, quae in Iustinianis Institutionibus legitur, locutio a Paraphrasta recepta est.

14) Iust. III 20, 1: *in omnibus autem obligationibus adsumi possunt* [scil. fideiussores].

Par. ibid.: ἐν πᾶσι δὲ ταῖς ἐνοχαῖς παραλαμβάνεσθαι εἰώθασιν οἱ ἐγγυηταί.

G. III 119[a]: *fideiussor vero omnibus obligationibus .... adici potest.*

Quod verborum *adsumere* et *adicere* hoc saepissime a Paraphrasta redditum est, illud, si recte memini, ne semel

quidem praeter hunc de quo agitur locum: eo argumentationem meam non leviter corroborari confido. Nam quo rarius scriptor verbo aliquo utitur, eo magis mireris, si eo loco, ubi res minime exigit, tamen id usurpat. Cave igitur casu hanc inter Paraphrasin et Iustinianas Institutiones ortam esse adfinitatem opineris.

Ceteris locis *adicere* vario modo graece versum est: veluti *προσπορίζειν* (cf. II 1, 20, 9, 4), *προστιθέναι* (cf. II 1, 20, 11, 4, 20, 19; III 15, 7, 29, 3), *προσκεῖσθαι* = *adici* (III 19, 11; IV 3, 15), *ἐλλεῖπον* = *non adiectum* (II 18, 3), nusquam vero invenitur *παραλαμβάνειν*.

Ac ne unius eiusdemque capitis argumentum alterum ab altero divellam, ne id quidem silentio praeterire volo, quamvis minoris momenti sit, quod Gaius verba *omnibus obligationibus* cum verbo *adicere* conectit, Iustinianus vero et Paraphrastes *adsumere* absolute dicunt, verbis *omnibus obligationibus* praepositionis *in* (*ἐν*) vinculo cum ceteris coniunctis.

15) Iust. III 23, pr.: *emptio et venditio contrahitur, simulatque de pretio convenerit.*

Par. ibid.: *ἡ πρᾶσις καὶ ἡ ἀγορασία συνίσταται εὐθέως, ἡνίκα περὶ τοῦ τιμήματος ἑκάτερον συναινέσῃ μέρος.*

G. III 139: . . . *cum de pretio convenerit.*

Quoniam inter coniunctiones *cum* et *simulatque* id unum intercedit discrimen, quod *simulatque* maiorem praebet vim, vix vereor ne quis autumet usurpasse Paraphrasten id verbum, ut Gai textum emendaret, cum hoc quidem loco verbo maioris ponderis opus non sit.

Vertitur autem temporalis coniunctio *cum* vario modo: veluti *ὁπότε* (cf. I 10, 12; II 25, pr.) vel *ὅταν* (I 14, 1), saepius *ἡνίκα* (cf. II 11, pr. 19, 4; III 1, 7. 15, 2; IV 6, 29), sed ne uno quidem loco verba *εὐθέως ἡνίκα* vices agunt latinae voculae *cum*.

16) Iust. III 23, 2: *nam in ceteris rebus an pretium esse possit, veluti homo aut fundus aut toga alterius rei pretium esse possit, valde quaerebatur.*

Par. ibid.: . . . . *οἷον εἰ ἄρα οἰκέτης ἢ ἀγρὸς ἢ ἐσθὴς ἑτέρου πράγματος. . . . .*

G. III 141: . . . . *veluti homo aut toga aut fundus alterius rei* . . . .

Quod in ordinandis verbis Paraphrasis et Iustinianae Institutiones contra Gai auctoritatem consentiunt, id nihili facerem, nisi omnibus fere locis similibus eundem, quem latinus Iustiniani textus, Paraphrastes ordinem servaret: cf. II 4, 2 *vinum, oleum, frumentum, vestimenta* = *οἶνος, ἔλαιον, σῖτος, ἐσθής*; II 5, 1 *oleribus, pomis, floribus, feno, stramentis, lignis* = *λαχάνοις, ὀπώραις, ἄνθεσι, χορτῷ, ταῖς φυλλάσι, ξύλοις*; II 23, 10 *fundum, hominem, pecuniam* = *ἀγρὸν ἢ καὶ οἰκέτην ἢ καὶ νομίσματα*; III 25, pr. *olei, vini, frumenti* = *ἔλαιον ἢ οἶνον ἢ σῖτον*; cf. praeterea II 1, 25. 19, 4. 24, pr.; III 22, pr. 24, 5; IV 5, 3. 6, 4 etc.

Neque vero consulto Gai verborum ordinem Paraphrasten eo, de quo agitur, loco immutasse, aut pretii earum quae commemorantur rerum aut cuiuslibet alterius rei ratione habita, inde elucet, quod in talibus exemplis enumerandis certam rationem omnino non sequitur. Statim cum nostro loco compares supra dictum II 23, 10, ubi *ἀγρός* ante *οἰκέτην* commemoratur; deinde inter se compares II 4, 2 et III 25, pr., quorum in altero *οἶνος* praecedit *ἔλαιον*, in altero sequitur.

Neque eo infringitur hoc argumentum, quod raro propter peculiare, quo Paraphrastes utitur, enarrationis genus verborum inversio fit; veluti III 14, pr., ubi Iustinianus res, *quae pondere, numero mensurave constant,* dicendo omnes complectitur *(rebus, quae pondere, numero mensurave constant, veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata, aere, argento, auro),* Paraphrastes eas in singula membra discerpit sua cuique exempla addens *(pondere μέν, οἷον χρυσός, ἄργυρος, μόλιβδος καὶ σίδηρος, κηρός, πίσσα, κασσίτερος. mensura, οἷον ἔλαιον, οἶνος, σῖτος. numero, οἷον νοῦμμοι λεπτοί).* Neque vero de Gai auctoritate hic cogitare licet, nam is quoque his in exemplis enumerandis verborum *pondere, nu-*

mero, mensura ordinis nullam rationem habet: III 90: *qualis est pecunia numerata, vinum, oleum, frumentum, aes, argentum, aurum.*

Sed de his plura dicere supersedeo. Accedit quod tam exiguus est eorum numerus, si cum ceterorum, de quibus supra dixi, copia compares, ut nullius ponderis esse possint.

17) Iust. III 29, 3: *nam tunc prior proinde obligatus manet, ac si postea a nullo stipulatus fuisset.*

Par. ibid.: *καὶ γὰρ τηνικαῦτα ἡ προτέρα ἐνοχὴ μένει ἀσάλευτος ἐπὶ σχήματος* . . . . .

G. III 176: *nam tunc ⟨prior⟩ proinde adhuc obligatus tenetur*. . . . .

Hic locus, quamvis non ad verbum graece expressus sit, propter verbum *μένει* non est neglegendus, cum mihi quidem persuasum sit non fuisse futurum, ut hoc verbum usurparetur, nisi idem in latino Iustiniani textu exstitisset. Nam praeter hunc locum semel tantum in Iustinianis Institutionibus et in Paraphrasi in eiusmodi verborum comprehensione *permanere (μένειν)* deprehendi, III 14, 2; *(obligatum) teneri* vero plus quinquagies legi idque fere semper graecis verbis *(ἔνοχον) κατέχεσθαι* redditum (cf. III 10, 3. 14, 2. 26, 6; IV 1, 11 (12). 5, 3. 6, 10), raro aliis, veluti *κρατεῖσθαι* (IV 2, pr.) vel *ἔνοχον γίνεσθαι* (III 16, 1), nusquam vero Paraphrastes sua sponte ibi posuit *μένειν*, ubi non in latino textu legitur.

18) Iust. IV 1, 15: *item si fullo* . . . . ., *quia domini nihil interest eam rem non perire, cum iudicio locati a fullone aut sarcinatore rem suam persequi potest.*

Par. ibid.: . . . . . *τῷ γὰρ δεσπότῃ οὐ διαφέρει τοῦτο ἀπολέσθαι τὸ πρᾶγμα* . . . . *δυνάμενος* . . . . *τὸ οἰκεῖον ἀπαιτεῖν πρᾶγμα.*

G. III 205: . . . *quia domini nihil interest ea non periisse, cum* . . . . . *suum ⟨con⟩sequi possit.*

Dum Iustinianas Institutiones et Paraphrasin perlego,

non memini pronomen *ea* ita translatum esse, ut vel sponte adiceretur *πρᾶγμα*: verum, nisi in latino Iustiniani textu enuntiato relativo sequente Paraphrastes constructione participiali, quam grammatici vocant, utitur (quae quantopere non tantum huic sed omnibus scriptoribus graecis in deliciis fuerit, in vulgus notum est), semper *ταῦτα* legitur pro voce *ea* (cf. II 5, 4). Contra latini textus vocabulo *res* respondet *πρᾶγμα* in Paraphrasi (cf. II 20, 22. 24, 1; III 19, pr. 24, 2; IV 1, 6. 7, 4ª. 15, 6), iis tamen locis exceptis, ubi *res* aliam notionem habet, veluti IV 10, 1 *rem agere* = *δίκην κινῆσαι*. — Ex iis quae dixi cum eluceat in verbis *ea* et *res* vertendis accurate solere cum Iustiniano consentire Paraphrasin, dubium non est, quin hunc quoque locum ex ipsis Iustinianis Institutionibus Paraphrastes hauserit.

19) Iust. IV 4, 1: *iniuria autem committitur* . . . . . . *si quis ad infamiam alicuius libellum aut carmen scripserit, composuerit, ediderit.*

Par. ibid.: . . . . . *πεζὸν λόγον ἔγραψεν ἢ ἔμμετρον ἔπος ἢ συνέθηκε κατ' ἐμοῦ ἢ ἐξέδωκεν.*

G. III 220: . . . . . *libellum aut carmen scripserit.*

Finem huius paragraphi faciant duo argumenta ex IV 4, 3 petita, ubi legitur:

20) Iust.: . . . . *cum quid atrocius commissum fuerit et quod aperte ad contumeliam domini respicit.*

Par.: . . . . *ἡνίκα σκαιόν τι κατ' αὐτοῦ ἐπλημμελήθη, καὶ ὅπερ φανερῶς εἰς ὕβριν ὁρᾷ τοῦ δεσπότου.*

G. III 222: *cum quid atrocius commissum fuerit, quod aperte in contumeliam domini fieri videtur.*

Et apud Iustinianum et in Paraphrasi sententiae illius partes coniunctione *et (καί)* inter se coordinantur, cum a Gaio posterior pars priori subordinata sit. Nec verisimile videtur in accommodando Gaiano *κατὰ πόδας* ad novum textum latinum huius differentiae rationem habuisse Paraphrasten. Atque etiam maioris momenti illud *ὁρᾷ* est, quod accuratissime Iustiniani vocabulo *respicit* respondet.

§ 3.

His, quae congessi, exemplis quamvis satis comprobari videatur inter Paraphrasin et Iustinianas Institutiones plurima et maxime conspicua contra Gai auctoritatem agnoscenda esse adfinitatis vincula, tamen etiam ex iis, quae minoris fortasse momenti esse videantur, exemplis nonnulla proferam. Quorum quidem copia tanta est, ut cumulatis iis in immensum diffundi possit haec quaestio; itaque potiora e tota copia selegi. Quorum pauca iam in § 2 commemoravi, si quando ex uno eodemque capite plura argumenta afferenda erant. De ceteris nunc videamus.

1) Iust. I 8, 2: *nam ex constitutione divi Pii Antonini .... non minus puniri iubetur .....*

Par. ibid.: *διάταξις γὰρ Ἀντωνίνου τοῦ βασιλέως ὥρισε ... οὕτω τιμωρεῖσθαι ....*

G. I 53: *nam ex constitutione imperatoris Antonini .... non minus teneri iubetur ....*

De verbi *teneri* versione graeca cf. supra pag. 18.

2) Iust. I 20, 6: *impuberes autem in tutela esse naturali iure conveniens est, ut ....*

Par. ibid.: *τὸ δὲ τοὺς ἀνήβους ἐπιτροπεύεσθαι τῷ φυσικῷ συνᾴδει νομίμῳ· δίκαιον γάρ ἐστι ....*

G. I 189: *sed inpuberes quidem in tutela esse omnium civitatium iure contingit; quia id naturali rationi conveniens est, ut ....*

Ei igitur, quod apud Gaium legitur, *naturali rationi* respondet apud Iustinianum *naturali iure* (vel *iuri*) nec secus apud Paraphrasten *φυσικῷ νομίμῳ*.

3) Iust. II 19, 2: *sui autem et necessarii heredes sunt veluti filius filia nepos neptisque etc.*

Par. ibid.: *sûoi necessárioí εἰσιν, οἷον υἱὸς θυγάτηρ ἔκγονος ἐκγόνη κτλ.*

G. II 156: ..... *velut filius filiave, nepos neptisve etc.*

Non casui tribuendum esse, quod et Iustinianus et Para-

phrastes *ἀσυνδέτως filius filia* scripserunt, cum Gaius coniunctione *-ve* uti maluisset, consideratis ceteris locis, in quibus illa cognationis nomina inveniuntur, suspiceris. Etenim eam in eiusmodi vocabulis conectendis, quantum equidem statuere potui, rationem secutus esse videtur Paraphrastes, ut subtilius quam Iustinianarum Institutionum compositores inter *καί* et *ἤ* discerneret et ibi tantum *ἤ* poneret, ubi aut de uno aut de altero cogitare liceret, ubi vero ambo comprehenderentur, ubique particula *καί* uteretur eaque interdum etiam contra latini textus auctoritatem. Ubi autem nihil refert, utrum *ἤ* an *καί* legatur, semper cum Iustiniano, sive *et* sive *aut* sive nullam omnino coniunctionem is praebet, Paraphrasis consentit. Cuius rei exempla afferre nolo, cum immensa sit copia. — In iis, quae sequuntur, quod dissentit Paraphrasis ab Institutionibus, cum in his verba *nepos neptisque* ope coniunctionis *que* conexa sint, in illa *ἀσυνδέτως* posita, mirum non est: scilicet Paraphrastes analogiam secutus propter praecedentium asyndeton eadem figura hic quoque utitur, id quod saepius alibi fecit.

4) Accedit alius in hac paragrapho consensus Iustiniani et Paraphrastae. In utroque enim praeter Gai verba *et deinceps ceteri* leguntur etiam *liberi* (*παῖδες*), quo additamento minime opus est, cum nisi de liberis cogitari non possit.

5) Contrarium habes III 1, 2: Iust.: *sui autem heredes existimantur, ... qui in potestate morientis fuerunt.*

Par.: *sûoi δὲ κληρονόμοι νομίζονται .... οἱ in potestate ὄντες τοῦ τελευτήσαντος.*

[G. III 2: *sui autem heredes existimantur liberi qui in potestate morientis fuerunt.*] [1])

---

[1]) Paragraphus, ex qua hunc locum petivi, in Gai codice unico Veronensi *(C)* non legitur, cum unum folium perierit, sed ex Mosaicarum et Romanarum legum Collatione suppleta est; qua re eius auctoritas aliquantulum imminuitur.

Hoc loco substantivum *liberi* a Paraphrasta Iustiniani auctoritatem secuto omissum est, quamquam etiam hic nihil interest, utrum addatur necne.

6) Iust. III 19, 6: *item inutilis est stipulatio, si* . . . .

Par. ibid.: *ἄχρηστος ὁμοίως ἡ ἐπερώτησις, ἐὰν* . . . .

G. III 104: *praeterea inutilis est* . . . .

Aut nulla aut minima est differentia, quae hoc quidem loco inter adverbia *praeterea* et *item* exstat; neque casu consentire cum Iustiniano Paraphrasten eo comprobatur, quod alibi *ὁμοίως* nonnisi latini verbi *item* vice fungitur: cf. I 24, pr.; II 4, 3; III 1, 15. 6, 4. 19, 2. 19, 12. 24, 4. 26, 10. 27, 6; IV 3, 13. 6, 19 etc. *Praeterea* autem aut omnino non redditur aut praepositione *πρός* cum alicuius verbi ad praecedentia relegantis dativo (cf. III 19, 5: *πρὸς ταῖς εἰρημέναις ἐπερωτήσεσι*; IV 7, 4) aut coniunctione *καί* (cf. II 1, 20; III 29, 3; IV 6, 36).

7) Iust. III 20, 4: *si plures sint fideiussores, quotquot erunt numero, singuli in solidum tenentur.*

Par. ibid.: . . . . *οὐκ εἰς μέρος, ἀλλὰ ἕκαστος αὐτῶν εἰς ὁλόκληρον κατέχεται.*

G. III 121: . . . *singuli in solidum obligantur.*

Verba *obligare* vel *obligatum tenere* graece aut verbo *ἐγχυριάζειν* aut ita redduntur, ut unum eorum verborum, de quibus supra pag. 18 dixi, cum *ἔνοχον* coniunctum usurpetur; quod ubi fit, *ἔνοχον* ne semel quidem omittitur; nec vero dixeris propter verbum *ὁλόκληρον* Paraphrasten hic omisisse *ἔνοχον*, cf. III 16, 1: *εἰς ὁλόκληρον ἔνοχος γενήσεται.*

8) Iust. III 24, 4: *quodsi suum aurum Titius dederit mercede pro opera constituta, dubium non est, quin locatio et conductio sit.*

Par. ibid.: . . . *ἀναμφιβόλως μίσθωσις καὶ ἐκμίσθωσίς ἐστι τὸ τοιοῦτον.*

G. III 147: . . . . . . *convenit locationem conductionem contrahi.*

Ad adverbium *ἀναμφιβόλως* Paraphrasten Iustiniano auctore delatum esse arbitror, quippe quo alibi non saepe usus sit; accedit, quod verbum *convenire* graece simili verbo reddidit I 20, 6 (*συνᾴδειν*).

9) Iust. IV 3, 13: *unde non solum usta aut fracta, sed etiam scissa et collisa et effusa et quoquo modo perempta atque deteriora facta hoc verbo continentur.*

Par. ibid.: . . . . *καὶ τὰ οἱῳδήποτε τρόπῳ* [*διαφθαρέντα· ὅθεν οὐ μόνον*][1]) *ἀπολλύμενα ἢ χείρονα γεγονότα* . . . .

G. III 217: . . . . *et quoquo modo* v i t i a t a *aut perempta atque deteriora facta* . . . .

10) Iust. IV 15, 2: *sequens divisio interdictorum haec est, quod* q u a e d a m *adipiscendae possessionis causa comparata sunt,* q u a e d a m *retinendae,* q u a e d a m *reciperandae.*

Par. ibid.: . . . *ὅτι τῶν ἰντερδίκτων* τ ι ν ὰ *μέν ἐστι τῆς* *adipiscendae* *ἐνεργείας* . . . . τ ι ν ὰ *δὲ τῆς* *retinendae* . . . . τ ι ν ὰ *δὲ τῆς* *recuperandae* . . . .

G. IV 143: *sequens in eo est divisio, quod* v e l *adipiscendae possessionis causa conparata sunt* v e l *retinendae* v e l *reciperandae* . . . .

In discernendis alicuius rei membris singulis cum latinus sermo plerumque coniunctionibus distributivis ad quodque membrum appositis utatur, veluti *aut-aut*, *vel-vel*, nonnum-

---

[1]) Haec quattuor verba in codices perperam ita irrepserunt, ut librarii oculi ad ea, quae in eadem paragrapho paulo supra praecedunt, verba *τὸ διαφθαρὲν οἱῳδήποτε τρόπῳ· ὅθεν οὐ* aberrantes redirent. Recte quattuor illa verba delevit Reitzius. Ferrinius vero solis verbis *ὅ θ ε ν ο ὐ μ ό ν ο ν* submotis conicit: *οἱῳδήποτε τρόπῳ* *δ ι α φ θ α ρ έ ν τ α* (nempe hoc vocabulo Gaianum participium *vitiata* a Paraphrasta Gaium exscribente redditum esse arbitratur Ferrinius) *ἀπολλύμενα ἢ χείρονα γεγονότα.* Sed ne semel quidem Paraphrastes tria verba vel plura ita inter se conexuit, ut primum et alterum *ἀσυνδέτως* dicerentur, inter cetera vero coniunctio *ἢ* interponeretur. Ferrinius igitur, si omnino lectionem suam comprobari vellet, inter *διαφθαρέντα* et *ἀπολλύμενα* coniunctionem *ἢ* iterum substitueret oportuit.

quam pronominibus indefinitis, veluti *quidam-quidam*, eam rationem Paraphrastes sequitur, ut raro et ipse coniunctionibus ἤ-ἤ utatur (cf. I 16, pr.; III 13. 1; IV 6. 21). multo saepius, aeque atque ceteri scriptores graeci, particulis adversativis *μέν-δέ* cum articulo coniunctis, sive *aut-aut* vel *vel-vel* latinus textus praebebat (cf. I 3, pr.; II 19, pr.), sive *quaedam-quaedam* (cf. I 8, pr. 13, pr.; II 2, pr.). Atque quamvis non accurate semper his in verbis vertendis cum fonte suo consentiat Paraphrasis, illud tamen summa fide statuendum est, nusquam alibi verbis *τινά-τινά* eiusmodi verborum conexum effectum esse, nisi in latino textu *quaedam-quaedam* legeretur.

§ 4.

Ex iis ipsis Paraphraseos locis, quos, si recta esset Ferrinii coniectura, cum Gai verbis consentire summa cum verisimilitudine exspectandum erat, maxime conspicuam adfinitatem inter Paraphrasin et Iustinianas Institutiones erui. Restat, ut ea quae ad nostram argumentationem non satis apte quadrare vel etiam in contrarium aberrare videantur, i. e. consensus, qui in illius modi locis contra Iustiniani auctoritatem inter Paraphrasin et Gaium intercedit, exempla omnia colligam et redarguam. Quorum quae ipse Ferrinius in medium protulit — quae tamen pauca sunt — in posteriore huius commentationis parte tractabo, ubi de Ferriniana coniectura in universum agam; nunc ea exempla examinabo, quae praeter illa mihi ipsi, dum Paraphrasin accurate perlustro, occurrerunt. Atque cum certis argumentis Paraphrastae Iustinianas Institutiones fundamento fuisse iam comprobaverim, opus non est, ut eas, quae tamen Paraphrasin inter et Gaium adfinitates exstant, omnino nullas esse ostendam, sed ostendere sufficit eas alio referri posse atque ad Gaianas Institutiones. Quorum exemplorum numerus parvus est, si cum multitudine illorum, quae supra tractavi, comparaveris; atque cum illic e multis nonnulla eligere licuerit, hic ne unum quidem, quod alicuius momenti sit, omittere liceat, copia

maior esse videbitur quam re vera est. Iam singula dispiciamus.

1) Iust. I 12, pr: *videamus nunc, quibus modis ii, qui alieno iuri subiecti sunt, eo iure liberantur.*

Par. ibid.: *σκοπήσωμεν, τίνι διαλύεται τρόπῳ τὸ in potestate.*

G. I 124: *videamus nunc, quomodo hi qui alieno iuri subiecti sunt, eo iure liberentur.*

Concedo alibi verbis *quomodo, quemadmodum,* similibus ita respondere Paraphrasin, ut Iustinianarum Institutionum pluralis latinus plurali graeco, singularis latinus singulari graeco reddatur, veluti *quibus modis* = *ποίοις τρόποις* (cf. II 17, 4), *omnimodo* = *παντὶ τρόπῳ* (cf. II 19, 2; III 22, 1), *quemadmodum* = *τίνα τρόπον* (cf. II 9, 6. IV 6, 36), *multis modis* = *πολλοῖς τρόποις* (cf. II 1, 11), *quocumque modo* = *οἱῳδήποτε τρόπῳ* (cf. III 9, 12). Semel tamen praeter hunc de quo agitur locum ita a latini fundamenti auctoritate recedentem Paraphrasin inveni, ut non eundem, quem illud, numerum usurpet: I 12, pr. (G. I 126) *quemadmodum* = *πόσοις . . . . τρόποις.* Itaque quamquam non solitus est modo singulari modo plurali numero illa verba latina vertere Paraphrastes, tamen non necessario cogimur ex Gaio hunc locum haustum esse statuere.

2) Iust. I 12, 5: *si vero ibi decesserit, exinde, ex quo captus est pater, filius sui iuris fuisse videtur.*

Par. ibid.: *ἀλλὰ ζητοῦμεν, ἐκ ποίου χρόνου δοκῶ τῆς ὑπεξουσιότητος ἀπαλλάττεσθαι· πότερον ἐξ οὗ ἐλήφθη ἢ ἀφ᾽ οὗ ἐτελεύτησε παρὰ τοῖς πολεμίοις.*

G. I 129: *sed utrum ex hoc tempore quo mortuus est apud hostes parens, an ex illo quo ab hostibus captus est, dubitari potest.*

Hic Paraphraseos et Gai consensus cum non uno verbo duobusve contineatur, sed toto verborum circuitu et dispositione, nemo sane erit, quin prima specie aperte contradicere hunc locum nostrae sententiae contendat. Nihilo

minus consensum illum casu effici potuisse concedes, si reputaveris, quot doceamur exemplis Paraphrastae in deliciis fuisse ea, quae in latino textu simpliciter expressa essent, ita distrahere, ut primum in interrogationis formam redigerentur, deinde responsum ederetur: cf. I 4, pr.: Iust. *et ex contrario si libera conceperit, deinde ancilla facta pariat, placuit eum qui nascitur liberum nasci* = Par. *πότερον ἐλεύθερον ἢ δοῦλον σκοπήσωμεν τὸ τικτόμενον. καί φησιν ⟨....⟩ ἐλεύθερον εἶναι*, vel II 1, 34: Iust. *si quis in aliena tabula pinxerit, quidam putant tabulam picturae cedere etc.* = Par. *λαβών τις ἀλλοτρίαν σανίδα ἐζωγράφησε .... τίνος ἐστὶν ἡ εἰκών, ἐζητήθη. καὶ οἱ μὲν λέγουσι κτλ.*; cf. praeterea I 2, 6. 10, 13. 12, 6. 17, pr. 18; II 1, 40. 13, 2. 19, 2. 20, 32. 22, 2. IV 3, 9 etc.[1]).

3) Ei, quod paullo ante (no. 1) tractavimus, simile est illud, quod legitur II 9, 4:

Iust.: *sed bonae fidei possessor, cum usuceperit servum, ..., ex omnibus causis* (item Dig. XLI 1, 10, 5) *per eum sibi adquirere potest.*

Par.: .... *ἐκ πάσης αἰτίας* ....

G. II 93: .... *ex omni causa* ....

Cum nullum locum indagaverim, ubi idem verborum contextus mutato numero ex Iustiniano in Paraphrasin translatus sit, ad alia verba recurrendum est, ut comprobetur interdum ab immutandis numeris plurali et singulari non abhorruisse Paraphrasten. Nolo illud, de quo supra pag. 25 dixi (*quemadmodum* = *πόσοις .... τρόποις* I, 12 pr.) urguere: nam verba *quomodo, quemadmodum* coniunctionum magis vice funguntur neque apte cum substantivis comparari possunt. At conferas haec: Iust. I 11, 2 *in hoc casu* = Par. *ἐπὶ*

---

[1]) Non solum Paraphrastae sed omnino eius aevi scholarum magistris hanc scribendi consuetudinem fuisse cum ex aliorum tum ex Choerobosci grammatici scriptis, qui triginta fere annis ante Institutiones promulgatas floruit, optime cognoveris: cuius dictata in Theodosii canones e. g. hac locutione abundant: *ἄξιον δέ ἐστι ζητῆσαι, τίνος χάριν ..... καί ἐστι κτλ.*, et similibus.

τούτων τῶν θεμάτων; Iust. III 1, 2ª *curiis civitatum* = Par. *βουλευτηρίῳ πόλεως.*

4) Iust. II 9, 4: *de his autem servis, in quibus tantum usum fructum habetis, ita placuit, ut, quidquid ex re vestra vel ex operibus suis adquirant, id vobis adiciatur.*

Par. ibid.: . . . . *ἐκ δύο τούτων ex re mea uel ex operis suis κτλ.*

G. II 91.: . . . . *quidquid ex re nostra vel ex operis* (item Dig. XLI 1, 10, 3) *suis adquirant etc.*

Ubi quod adeo in latinis quae in graecum textum recepta sunt verbis Paraphrasis a fonte suo dissentit, idem alibi quoque nonnumquam fit: cf. II 7, pr. Par. *ἡ μὲν . . . . mortis causa, ἡ δὲ inter uiuos;* Iust. *mortis causa et non mortis causa* (apud Gaium hic locus non legitur). II 14, 3 Par. *pro parte dominica;* Iust. *pro portione dominii.* II 20, 9 Par. *deducto usufructu;* Iust. *detracto usufructu* (apud Gaium hic locus non legitur).

Haec omnia quominus calami lapsui tribuamus, illud obstat, quod nonnulla saepius iterata sunt; veluti illud *pro parte dominica* praeter hunc locum bis occurrit in Paraphrasi (III 17, 3, ubi apud Iustinianum legitur *pro portione dominii,* apud Gaium nihil omnino; III 28, 3, ubi Iustinianus et Gaius III 167 *pro dominica parte* praebent). Ex his vocabulis omnibus unum illud *operis,* de quo nunc agitur, Gaio auctore mutatum esse videri potest; cetera aut apud Gaium non leguntur, aut, si leguntur, Gaius cum Iustiniano consentit. Itaque illas differentias ita explicare malim, ut Paraphrastae multorum ut ita dicam terminorum technicorum vel formularum linguae forensis sollemnium (quas ne posterioribus quidem temporibus, quibus latinae linguae scientia in terris orientalibus rarissima facta est, graecis litteris cessisse constat) alias formas in usu fuisse statuam atque latinarum Institutionum compositoribus[1]). Huc pertinet imprimis *pro parte*

---

[1]) Etiam unius eiusdemque aetatis iureconsultos eiusmodi formularum sollemnium diversas nonnumquam usurpasse formas ea ex re

dominica, quae formula Paraphrastae magis in usu fuisse videtur, cum Iustinianarum Institutionum compositores uterque *pro portione dominii* praeferrent. Nam quod uno loco (III 28, 3) etiam in his legitur *pro dominica parte*, id auctoris neglegentia in Gai verbis, quae huic paragrapho pro fundamento erant, verbotenus exscribendis haec immutare obliti factum esse existimo, cum praesertim eodem ordine, quo apud Gaium, haec verba apud Iustinianum se excipiant [1]).

Sed ne longius aberret oratio a proposito nostro, hic subsistendum est, praesertim cum ex iis quae dixi satis eluceat etiam illud *ex operis suis* multo potius iis causis, quas commemoravi, quam Gai auctoritati deberi. Adde quod forma *operis* in eiusmodi condicionibus, qualis illa est, de qua II 9, 4 agitur, adeo frequentabatur, ut Paraphrastes eam facile ex memoria substituere posset pro insolita Iustinianarum Institutionum forma *operibus*.

5) Iust. II 19, 2: *sed his praetor permittit volentibus abstinere se ab hereditate.* Participium *volentibus* et in Paraphrasi et apud Gaium (II 158) desideratur. — Verum aliis quoque locis apud Iustinianum id verbum supervacuo adiectum est, a Paraphrasta prorsus neglectum. Occurrit enim praeter hunc locum bis omnino: Iust. I 6, pr.: *non tamen cuicumque volenti manumittere licet* = Par.: . . . ὅτι οὐ παντὶ δεσπότῃ

---

conicere licet, quod nostro quidem loco (II 9, 4) *ex operibus suis* apud Iustinianum legitur, contra III 28, 1 *ex operis suis*. Et constat Iustiniani Institutionum libros I et II ab alio iureconsulto, ab alio libros III et IV conscriptos esse; cf. Eduardum Grupe in commentatione de Iustiniani Institutionum compositione anno 1884 Argentorati publici iuris facta (in Dissertationum Philologicarum Argentoratensium volumine IX).

[1]) Eae, quas attuli, et similes differentiae aliae, quae in formulis latine scriptis inter Paraphrasin et Iustinianas Institutiones intercedunt, nisi scribae culpae, qui archetypum exaravit, tribuendae sunt, quin ad quaestionem de Paraphraseos auctore solvendam magni momenti sint, non dubito. Atque videtur Ferrinii opinioni, qui Theophilum auctorem esse multas propter causas l. c. allatas negavit, magnum inde subsidium nasci.

παρέχειν ἔξεστιν ἐλευθερίαν. Gaius utrum omiserit *volenti* necne, diiudicari non potest; nam verba, quae in Gai editionibus hoc loco (I 36) leguntur, ex ipsis Institutionibus suppleta sunt: verisimilius tamen paulo est omissum esse id participium a Gaio, cum in eius Institutionibus ita usurpatum nusquam occurrat, aut pro *cuicumque volenti* aliud quid scripsisse Gaium. — Et II 23, 7 Iust.: *ut . . . . necessitas ei imponeretur totam hereditatem volenti fideicommissario restituere et omnes ad eum et contra eum transire actiones* in Paraphrasi leviter mutato ordine ita leguntur: . . . . *καὶ πᾶσαι μετετέθεντο ἐπὶ τὸν fideicommissárion αἱ ἀγωγαί*, Gai in textu omnino haec desunt. Quare si casu illum Paraphraseos et Gaianarum Institutionum consensum ortum esse contendamus, haud longe a vero aberrare videbimur.

6) Iust. II 19, 6: *sciendum tamen est divum Hadrianum etiam maiori viginti quinque annis veniam dedisse, cum post aditam hereditatem grande aes alienum . . . . emersisset.*

Par. ibid.: . . . . *μετὰ δὲ ταῦτα χρέος ἀπρόοπτον ἀνεφάνη.*

G. II 163 . . . *grande aes alienum . . . . apparuisset.*

Quo pacto verbum *emergere* vertere solitus sit Paraphrastes, dici quidem nequit, quoniam alterum eiusdem locutionis exemplum frustra quaeras; attamen si consideraveris talem, qualis hic verbi *emergere* significatio sit, eis verbis graecis, quae illi accurate respondeant, nullo modo tribui posse, necessitate coactum, ne obscurior oratio evaderet, vulgari usu magis tritum verbum Paraphrasten substituisse facile concesseris. —

Quae iam sequuntur, leviora sunt:

7) Iust. II 23, 4: *si hereditas . . . . restituta sit,* quae inter verba apud Gaium (II 253) secundo loco *cui* interponitur, quod idem (*τινί*) in Paraphrasi invenimus. Probabile est hanc adfinitatem vel casu ortam esse vel usu illo graeci sermonis, quem, ubi licuerit, pronomina indefinita orationi

inseruisse nemo ignorat; fortasse autem Institutionum codices corrupti sunt.

8) Iust. II 24, 1: *hoc solum observandum est, ne plus quisquam rogetur alicui restituere, quam etc.*, Gaius vero (II 261) et Paraphrastes pro *alicui* usurpant *aliis* (ἑτέρῳ). Qua in re non Gaium secutum esse Paraphrasten, sed potius consulto ita scripsisse, ut Iustiniani pronomen tamquam huic loco minus idoneum corrigeret, e praefatione huius tituli cognoscere licet. Ibi enim, quamquam eodem verborum in contextu et apud Gaium et apud Iustinianum *alicui* legitur, tamen in Paraphrasi ἑτέρῳ invenitur.

Duae denique ex quarto libro oboriuntur difficultates:

9) Iust. IV 6, 14: . . . *nec enim quod actoris est id ei dari oportet.*

Par. ibid.: . . . *οὐδὲ γὰρ τὸ ὑπάρχον ὑπὸ τὴν δεσποτείαν τινός, τοῦτο αὐτῷ δίδοσθαι δύναται.*

G. IV 4: *nec enim quod nostrum est, nobis dari potest.*

Quoniam nullum in Paraphrasi deprehendi locum, in quo *oportere* graeco verbo *δύνασθαι* reddatur, alia argumenta circumspicienda sunt. Et sunt quidem in hac paragrapho, quae adeo cum Iustinianis Institutionibus conspirent, ut iis Paraphrasin nixam esse verisimillimum fiat. Quarum ea imprimis notanda est, quod in paragraphi initio et Iustinianus et Paraphrastes de *actore* (ἐνάγων) loquuntur, cum Gaius prima persona pluralis pronominis personalis usus sit. Atque maxime hac persona uti Paraphrastae quoque in deliciis fuisse etiam contra fontis ex quo hauriebat auctoritatem infra videbimus, neque erat, cur hic a consuetudine recederet. Itaque cum hoc ex Iustiniani Institutionibus haustum esse videatur, probabile non est illud, quod statim sequitur, e Gaio sumpsisse Paraphrasten. Accedit, quod, etsi *oportere* et *posse* ita inter se dissentiant, ut illud omni modo id, de quo agitur, faciendum esse significet, hoc vero non omni modo, sed certis condicionibus, haec differentia

negatione addita adeo minuitur, ut aeque fortiter utroque verbo aliquid fieri posse negetur [1]).

10) Quod praeterea hoc in titulo Paraphrasis a Iustiniani Institutionibus ita differt, ut § 15 in verbis Iustiniani *appellamus autem in rem quidem actiones vindicationes* vertendis Paraphrastes una cum Gaio passivo genere utatur (*πᾶσαι δὲ αἱ in rem . . . . λέγονται uindicationes* = G. IV 5 *appellantur autem etc.*), id non magni esse ponderis nonnulla huius ipsius tituli argumenta nos docent. In fine enim huius paragraphi et Iustinianus scripsit: *nunc vero abusive dicimus* et Gaius (IV 18): *nunc vero non proprie . . . . dicimus,* quam contra auctoritatem in Paraphrasi habes: *σήμερον δὲ καταχρηστικῶς λέγεται,* nec dissimiliter in paragrapho 16, ubi in latino textu passivum legitur *(quaedam actiones rei persequendae gratia comparatae sunt),* Paraphrastes activum usurpat (*τῶν ἀγωγῶν τὰς μὲν κινοῦμεν ad rei persecutionem*), quae apud Gaium omnino non leguntur. Quae cum ita sint, etiam hic de casu cogitare licet.

Quae praeter has, de quibus dixi, inter Paraphrasin et Iustinianas Institutiones intercedunt differentiae, eae aut minimi ponderis sunt aut e graeci sermonis consuetudine a latino discrepante vel ex tota Paraphraseos indole vel simili pacto explicari possunt, ideoque unum tantum vel alterum ad hoc argumentorum genus illustrandum selegi, veluti id quod de vocula *τινί* interposita dixi (pag. 29 sq).

§ 5.

Iis, quae adhuc ad sententiam meam commendandam defendendamque argumenta attuli, prohibemur, quominus Paraphrasin ita ortam esse existimemus, ut olim vulgo existimabatur, sc. non ab unius auctoris calamo profectam, sed ab auditoribus in scholis secundum magistri

---

[1]) Fortasse hoc loco corrupti sunt Institutionum Iustinianarum codices, neque omnino audaculi esse existumo, si et Gai et Paraphrastae auctoritates in unum concurrant, eorum consensu uti ad Iustinianum textum corrigendum.

praelectionem exceptam posteaque vulgatam esse. Quam opinionem a Degenio imprimis in libello de Theophili aetate et scriptis composito pluribus argumentis defensam nuper reiecit Ph. Eduardus Huschke [1]), cum credibile esse negaret opus adeo elaboratum elimatumque neque ulla parte tumultuarium hoc modo ortum esse eiusque modi originem iam ipsis temporis angustiis praecludi demonstraret; cum multis de causis certo statuendum esset Paraphrasin eodem anno (533) ante secundam codicis editionem publicatam esse. Attamen concessit Huschkius Institutionum interpretationem talem, qualis Paraphrasi contineretur, sicuti libri indoles postularet, magistralem in modum factam esse, tamquam si solito tempore ac more Institutiones ab antecessore explicandae fuissent. Et certe hanc formam servare Paraphrasin non solum illa singula, quae ipse Huschkius affert (veluti ea quae de quibusdam postea discipulis tradendis IV 6, 20. 11, 3. 13, 6. 17, 2 dicuntur), sed etiam totus illius usus loquendi dilucide ostendit.

Augetur Huschkii argumentationis vis iis adfinitatibus, quas in rebus exiguis atque levissimis positas inter Paraphrasin et fontem eius intercedere ostendi. Non enim credibile est aut magistrum in scholis habendis his in minutiis tam accurate secundum eum quo utebatur fontem orationem conformasse, aut, si faceret, auditores tam accurate eius verba excepisse, ut illae consensiones possent oriri.

Deinde illis adfinitatibus Ferrinii coniectura, in quam dedita opera ac singillatim infra inquiremus, adeo, si quid video, refellitur, ut τὸ κατὰ πόδας Gai omnino Paraphrasi pro fundamento fuisse negandum sit, atque ad totius operis originem nonnisi Iustinianas Institutiones in censum venire fieri non possit quin contendamus. Atque, cum maxime mirae pro tota forma Paraphraseos et multo copiosiore et tamquam prolixa oratione conscriptae adfinitates inter Paraphrasin et Iustiniani Institutiones exstent, Paraphrasten non

---

[1]) In praefatione editionis Iustiniani Institutionum anno 1868 Lipsiae publici iuris factae, pag. VI.

nudum latinum Institutionum textum in vertendo ante oculos habuisse suspicor, sed aut ab ipso Paraphrasta aut ab alio quodam iureconsulto glossis interlinearibus conspersum et fere ad modum *τῶν κατὰ πόδας* instructum. Verisimillimum enim est statim post Institutiones primum publicatas antecessorem aliquem vel iurisprudentiae magistrum in usum scholarum, in quibus graeca lingua adulescentes iurisprudentiae studiosi institui solebant, hanc operam ita suscepisse, ut aut membranis in duos laterculos divisis in altero latinus textus scriberetur, in altero graeca versio[1]), aut (quod verisimilius mihi videtur propter temporis angustias) inter lineas verbis latinis graeca, quae responderent, ponerentur[2]).

§ 6.

Ex eis, quae adhuc exposui, cum satis elucere mihi videatur Paraphraseos originem eiusmodi fuisse, ut fieri non possit quin ad Iustinianarum Institutionum versionem referatur, Gai autem Institutiones saepe quidem inspectas a Paraphrasta nec tamen pro fundamento adhibitas esse, hic argumentationi meae finem facere mihi liceret exspectaturo, num quis hanc opinionem certis argumentis posset refellere, nisi Ferriniana illa coniectura, quae omnino commovit me ad hanc quaestionem retractandam, tam subtiliter proposita esset a viro doctissimo, ut quicumque eius argumentationem perlegerit facere vix possit quin indagare conetur, quantum re vera Gaius ad Paraphraseos compositionem contulerit.

Iam in prima huius commentationis paragrapho breviter dixi Ferrinium locos Paraphraseos ad iuris historiam spectantes optimo iure ad Gaium rettulisse, minus recte cetera, quae in singulis Paraphraseos locutionibus ita consentiunt

---

[1]) Huius rei exempla cum alia praesto sunt tum codices Pseudo-Dositheanorum *Ἑρμηνευμάτων* et *καθημερινῆς ὁμιλίας*, de quibus conferas cum alios tum A. Boucherie in 'Notices et Extraits de la Bibliothèque Nationale' tom. XXIII part. II pag. 277 sqq. et Guil. Studemund Anecd. Var. I (1886) pag. 259 sq. et H. Keil Gramm. Lat. VII pag. 367 sq. etc.

[2]) Ad similitudinem e. g. antiquissimi quattuor evangeliorum canonicorum codicis Sangallensis Graeco-Latini ab Rettigio a. 1836 Turici publici iuris facti, nisi quod in hoc contextus latinus est, glossae graecae.

cum Gaio, ut prima quidem specie huic deberi videantur. Nunc prius de illis accuratius dispiciamus.

Ea, quae Ferrinius in praefatione editioni Paraphraseos praemissa dicit, complures locos ad iuris historiam pertinentes ad verbum ex Gai commentariis in Paraphrasin translatos esse, Paulus Krueger nuper reiecit[1]) vel potius artioribus circumscripsit finibus, cum recte moneret unum tantummodo locum e tota illa quam Ferrinius congessit exemplorum copia, ac ne hunc quidem prorsus ad verbum, cum Gai verbis consentire, sc. I 5, 4, ubi de condicionibus agitur, quibus servus manumissione civis Romanus efficiatur. Quod non commemorassem, nisi expressis verbis Ferrinius ad verbum illa consentire contendisset: nam ad nostram quaestionem nihil refert, utrum ad verbum translatus in Paraphrasin sit contextus Gaianus necne, cum plurimis locis Paraphrasten fontem suum non ad verbum secutum esse, sed vel longioribus ambagibus circumscripsisse vel aliter disposuisse latini textus verba et omnino magis ad substantiam quam ad formam respexisse iam saepius demonstraverim. Ab his minutiis formae liberius mutatae si recessero, facere non possum, quin Ferrinii coniecturam de locis ad iuris historiam pertinentibus propositam comprobem, quamquam non omnes quos ille affert locos ad eam confirmandam satis idoneos esse existimo. Sed de his infra videbimus. Primum, ut intellegatur, quantum re vera Gaio ad Paraphraseos compositionem tribuendum sit, omnium locorum ad iuris historiam pertinentium, qui Gaio certo vindicandi esse videntur, verba perscribam, cum Ferrinius notis numerorum locos illos significare satis habuerit. Priore autem loco eos afferam, quos quin Paraphrastes apud ipsum Gaium requisiverit et ex eo exscripserit, dubitari non potest, deinde eos, qui, cum minoris sint momenti vel minus accurate cum Gaio congruant, a Paraphrasta non apud Gaium requisiti videntur, sed potius ex sua ipsius iuris scientia additi, quam tamen ex Gai lectione ortam esse non omnimodo negaverim; tertio loco de iis disseram, quos omnino huc non pertinere opinor.

[1]) Krit. Vierteljahrsschrift, novae seriei vol. VII fasc. 4. a. 1885.

I.

1) Par. I 5, 3: *φησὶ γὰρ (ὁ Aélios Séntios) ἐάν τις ἐν τῷ καιρῷ τῆς δουλείας ὑποπέσῃ ἑνὶ τῶν παθῶν τῶν ὑπ' αὐτοῦ εὑρεθέντων, οἷον ἐὰν διά τι πταῖσμα λάβῃ στίγματα κατὰ τοῦ μετώπου ἤγουν βληθῇ ἐν δημοσίᾳ εἱρκτῇ ἢ καὶ διά τι πταῖσμα τυπτόμενος ὁμολογήσῃ τὸ πταῖσμα, εἰ μετὰ ταῦτα εὔνους γενόμενος τῷ δεσπότῃ ἐλευθερωθῇ, ἐγένετο deditícios ἀπελεύθερος. ὠνόμασε δὲ αὐτοὺς dediticiús κατὰ μίμησιν τῶν peregrínων dediticiων.*

G. I 13: *(lege itaque Aelia Sentia) cavetur, ut qui servi a dominis poenae nomine vincti sint, quibusve stigmata inscripta sint, deve quibus ob noxam quaestio tormentis habita sit et in ea noxa fuisse convicti sint, quive ut ferro aut cum bestiis depugnarent traditi sint inve ludum custodiamve coniecti fuerint, et postea vel ab eodem domino vel ab alio manumissi, eiusdem condicionis liberi fiant, cuius condicionis sunt peregrini dediticii.*

2) Par. ibid.: *πότε γάρ τινες τῶν peregrínων ὑποτελεῖς ὄντες Ῥωμαίοις [τυραννικόν τι φρονήσαντες κατὰ Ῥωμαίων] ὅπλα ἔλαβον κατ' αὐτῶν καὶ παραταξάμενοι Ῥωμαῖοι ἐνίκησαν [.οὐ δυνηθέντες τὴν αὐτῶν ὑπενεγκεῖν ἀνδρείαν] οἱ peregrînoi ῥίψαντες τὰ ὅπλα ἑαυτοὺς παραδεδώκασι.*

G. I 14: *vocantur autem peregrini dediticii hi qui quondam adversus populum Romanum armis susceptis pugnaverunt, deinde victi se dediderunt.*

3) Par. I 5, 4: *ἡνίκα τρία ἔννομα συνδράμῃ ἐπὶ τῷ ἐλευθερουμένῳ οἰκέτῃ, ὥστε αὐτὸν καὶ ὑπερβεβηκέναι τὸν λ' ἐνιαυτὸν καὶ ἔχειν ἐπ' αὐτὸν τὸν δεσπότην τὴν ἔννομον δεσποτείαν, τουτέστι τὸ ex iure quiritium, ἠλευθεροῦτο δὲ καὶ ὁ οἰκέτης ἢ uindicta ἢ censu ἢ testamento, πάθος δὲ μὴ ὑπέκειτο, πάντως ὁ ἐλευθερούμενος ἐγίνετο πολίτης Ῥωμαῖος.*

G. I 17: *nam in cuius persona tria haec concurrunt, ut maior sit annorum triginta, et ex iure Quiritium domini, et iusta ac legitima manumissione liberetur, id est vindicta aut censu aut testamento, is civis Romanus fit.*

4) Par. ibid.: *εἰ δὲ πάθους μὴ ὑπόντος, οὐ συνέδραμε τὰ τρία ἔννομα, [ἢ γὰρ ὁ οἰκέτης ἦν ἐλάττων τῶν λ' ἢ ὁ*

δεσπότης βονιτάριος μόνον ἦν, οὐκ εἶχε δὲ καὶ ἔννομον δεσποτείαν, ἢ ἐγίνετο ἡ ἐλευθερία *per mensam* ἢ *per epistulam* ἢ *inter amicos*, ἤτοι δύο ἐσθότε ἐνέλιπε τὰ ἔννομα ἢ καὶ τὰ τρία,] ὁ ἐλευθερούμενος ἐγίνετο *Latînos Iunianós*.

G. ibid.: *sin vero aliquid eorum deerit, Latinus erit.*

5) Par. I 6, 4: ἐγίνετο δὲ τοῦτο τὸ *consílion* οὐ μόνον ἐν Ῥώμῃ, ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς ἐπαρχίαις . . . . . . ἐν οὖν τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ τοῦ *conuéntu* ἐγίνετο τὸ *consílion*. καὶ ἐν ταῖς ἐπαρχίαις κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον. προήει ὁ ἄρχων καὶ ἐκάθητο ἐν τῷ οἰκείῳ δικαστηρίῳ καὶ ἅμα αὐτῷ κ′ ἄνδρες, οἵτινες ἐλέγοντο *peregrînoi recuperatores* . . . . . ἐγίνετο δὲ καὶ ἐν τῇ Ῥώμῃ τὸ *consílion* ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ τοῦ *conuéntu*, τοῦ *praétoros* καθημένου ἐν τῷ οἰκείῳ δικαστηρίῳ καὶ συγκαθημένων αὐτῷ ε′ συγκλητικῶν καὶ ε′ ἱπποτῶν Ῥωμαίων.

G. I 20: *consilium autem adhibetur in urbe Roma quidem quinque senatorum et quinque equitum Romanorum puberum; in provinciis autem viginti recuperatorum civium Romanorum, idque fit ultimo die conventus; sed Romae certis diebus apud consilium manumittuntur.*

6) Par. I 11, 3: ὁ ἄνηβος αὐτεξούσιος ἐκεκώλυτο εἰς θέσιν πάλαι λαμβάνεσθαι, τελευταῖον δὲ ἐπετράπη γίνεσθαι μετά τινος παραφυλακῆς.

G. I 102: *item inpuberem apud populum adoptari aliquando prohibitum est, aliquando permissum est; nunc . . . . . cum quibusdam condicionibus permissum est.*

7) Par. I 12, 1: Ῥωμαῖος γὰρ ὢν ὁ παῖς οὐ δύναται ὑπεξούσιος εἶναι τοῦ *peregrínu.*

G. I 128: *nec enim ratio patitur, ut peregrinae condicionis homo civem Romanum in potestate habeat.*

8) Par. ibid.: *peregrînos* γὰρ ὢν ὑπεξούσιος εἶναι Ῥωμαίου οὐ δύναται.

G. ibid: *quia aeque ratio non patitur, ut peregrinae condicionis homo in potestate sit civis Romani parentis.*

9) Par. I 12, 6: εἶτα παρόντων αὐτῶν ὁ μέσος ἠγόραζε τὸν παῖδα παρὰ τοῦ πατρὸς . . . . ὁ μέσος ἠλευθέρου τὸν παῖδα *uindícta* κἀκεῖνος σιωπηρῷ τινι λόγῳ ἀνέτρεχεν εἰς τὸ τοῦ πατρὸς *in potestate*. ἐπίπρασκεν αὐτὸν τὸ δεύτερον κατὰ τὸν

αὐτὸν τρόπον καὶ ὁ λαβὼν ἠλευθέρου αὐτὸν uindictą καὶ πάλιν ἀρρήτῳ λόγῳ ὑπέτρεφεν εἰς τὴν τοῦ πατρὸς ὑπεξουσιότητα. ἐπίπρασκεν αὐτὸν τὸ τρίτον καὶ οὕτω διελύετο τὸ in potestate.

G. I 132: *mancipat pater filium alicui; is cum vindicta manumittit; eo facto revertitur in potestatem patris; is eum iterum mancipat . . . . . isque eum postea similiter vindicta manumittit; eo facto rursus in potestatem patris revertitur; tertio pater eum mancipat . . . . ., eaque mancipatione desinit in potestate patris esse.*

10) Par. II 1, 25: *οἱ μὲν Proculianοὶ ἔλεγον τὸν τὸ εἶδος κατασκευάσαντα γίνεσθαι δεσπότην τοῦ κατασκευασθέντος, οἱ δὲ Sabinianοὶ τὸν τῆς ὕλης δεσπότην κύριον ἠβούλοντο εἶναι τοῦ εἴδους.*

G. II 79: *quidam . . . . putant, id est ut cuius materia sit, illius et res quae facta sit videatur esse, idque maxime placuit Sabino et Cassio; alii vero eius rem esse putant qui fecerit, idque maxime diversae scholae auctoribus visum est.*

11) Par. II 10, 1: *καὶ τὸ μὲν calatis comitiis ἐγίνετο καιρῷ εἰρήνης δὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ τοῦτον τὸν τρόπον.*

G. II 101: *quae comitia bis in anno testamentis faciendis destinata erant.*

12) Par. ibid.: *procinctus γὰρ λέγεται ὁ ἐζωσμένος καὶ ἕτοιμος πρὸς παράταξιν.*

G. ibid.: *procinctus est enim expeditus et armatus exercitus.*

13) Par. ibid.: *συνέβαινέ τινας ἀφνιδίῳ θανάτῳ κατασχεθέντας ἀδιαθέτους τελευτᾶν, οὔτε γὰρ calatis comitiis διετίθεντο . . . . οὔτε procinctu κτλ.*

G. II 102: *qui neque calatis comitiis neque in procinctu testamentum fecerat, is si subita morte urguebatur etc.*

14) Par. ibid: *ἠγόραζε τὴν τοῦ μέλλοντος τελευτᾶν περιουσίαν λέγων τινὰ ῥήματα τυπικά, ἃ νῦν περιττόν ἐστι λέγειν καὶ ἐπεδίδου λόγῳ τιμήματος εἰκονικοῦ νοῦμμον τῷ δεσπότῃ τῆς περιουσίας. καὶ ἐλέγετο ὁ ἀγοράζων familiémptor καὶ λοιπὸν ὁ μέλλων τελευτᾶν διετύπου, τί ὀφείλει δοθῆναι μετὰ τὴν αὐτοῦ τελευτήν.*

G. II 104: *mancipat alicui dicis gratia familiam suam; in qua re his verbis familiae emptor utitur . . . . .; deinde*

aere percutit libram, idque aes dat testatori velut pretii loco:
103 *et ob id ei mandabat testator, quid cuique post mortem suam dari vellet.*

15) Par. II 13, pr.: ἀλλ' εἰ μὲν ἐξωτικοί εἰσιν οἱ γεγραμμένοι, εἰς τὸ ἥμισυ γίνεται ἡ προσαύξησις, εἰ δὲ *sûoi*, εἰς τὸ ἀναλογοῦν. οἷον τρεῖς ἐνεστήσατό τις κληρονόμους τὴν θυγατέρα ἢ τὸν ἔκγονον *praetériton* καταλιπών. εἰ μὲν ἐξωτικοί εἰσιν οἱ γεγραμμένοι κληρονόμοι, ἡ μὲν θυγάτηρ ἤγουν ὁ ἔκγονος λήψεται ἓξ οὐγκίας, οἱ δὲ γ' οἱ ἐξωτικοὶ κληρονόμοι ἓξ οὐγκίας· εἰ δὲ *sûoi*, λαμβάνει τὸ ἀναλογοῦν, τουτέστι τρεῖς οὐγκίας, ὅσον ἤμελλε λαμβάνειν, εἴγε ἀδιάθετος ἐτελεύτησεν ὁ πατήρ . . . .

G. II 124: ⟨*sed*⟩ *praeteritae istae personae scriptis heredibus in partem adcrescunt, si sui heredes sint, in virilem, si extranei, in dimidiam: id est si quis tres verbi gratia filios heredes instituerit et filiam praeterierit, filia adcrescendo pro quarta parte fit heres, et ea ratione idem consequitur, quod ab intestato patre mortuo habitura esset: at si extraneos ille heredes instituerit et filiam praeterierit, filia adcrescendo ex dimidia parte fit heres.*

16) Par. II 20, 2: αὕτη δὲ ἡ *uindicatíων* δεσπότην ἐποίει τὸν ληγατάριον ἅμα τῇ τοῦ κληρονόμου *aditíoni*.

ἐλέγετο δὲ *uindicatíων* παρὰ τὸ '*uindicare*', ὅ ἐστι διὰ τῆς *in rem* ἐκδικῆσαι τὸ πρᾶγμα.

G. II 194: *ideo autem per vindicationem legatum appellatur, quia post aditam hereditatem statim ex iure Quiritium res legatarii fit; et si eam rem . . . . petat, vindicare debet, id est intendere suam rem ex iure Quiritium esse.*

17) Par. ibid.: ἐτίκτετο δὲ ἐντεῦθεν τῷ ληγαταρίῳ κατὰ τοῦ κληρονόμου *personalía* ἀγωγή . . . .

G. II 204: *et ideo legatarius in personam agere debet.*

18) Par. ibid.: καὶ ἐντεῦθεν ὁμοίως ἥρμοζεν ἡ *ex testamento.*

G. II 213: *et ideo huius quoque legati nomine in personam actio est 'quidquid heredem ex testamento dare facere oportet'.*

19) Par. ibid.: ἀμέλει οὐ καλῶς τῷ μὴ ὄντι μερικῷ κληρονόμῳ κατὰ *praeceptíona* καταλιμπάνομεν. τὸ γὰρ εἰπεῖν

ῥωμαϊστὶ ʽpraecipitoʼ, τουτέστι ʽκατεξαίρετον λαμβανέτωʼ, δηλωτικόν ἐστι προϋποκειμένου μέρους κληρονομίας, τουτέστι πρὸς τῷ μέρει, ὅπερ αὐτῷ κατέλιπον, βούλομαι αὐτὸν καὶ τόδε ἔχειν ἐν ἐξαιρέτῳ.

G. II 217: *sed nostri quidem praeceptores nulli alii eo modo legari posse putant, nisi ei qui aliqua ex parte heres scriptus esset; praecipere enim esse praecipuum sumere; quod tantum in eius persona procedit qui aliqua ex parte heres institutus est, quod is extra portionem hereditatis praecipuum legatum habiturus sit.*

20) Par. ibid.: *ἀπῃτεῖτο δὲ ἡ praeceptίων διὰ τοῦ familiae erciscundae.*

G. II 219: *item nostri praeceptores quod ita legatum est nulla ⟨alia⟩ ratione putant posse consequi eum cui ita fuerit legatum, quam iudicio familiae erciscundae.*

21) Par. II 22, pr.: *καὶ ἐτέθη μετὰ ταῦτα ὁ νόμος ὁ Fúrios, ὅστις εἶπε μὴ ἐξεῖναί τινι λῃγατεύειν περαιτέρω χιλίων νομισμάτων . . . . . ἀλλ᾽ εὐχερῶς ὁ τοιοῦτος περιεγράφετο νόμος. εἰ γάρ τις πεντακισχιλίων νομισμάτων ἔχων περιουσίαν ε΄ λῃγαταρίοις ἐλῃγάτευσεν ἀνὰ α΄, οὐδὲ τῷ νόμῳ προσέκρουσε καὶ ηὑρίσκετο πάλιν ὁ κληρονόμος διὰ τὸ μηδὲν ἔχειν κέρδος repudiateύων τὴν κληρονομίαν καὶ οὕτω πάλιν ἀνετρέποντο αἱ διαθῆκαι.*

G. II 225: *itaque lata est lex Furia, qua, exceptis personis quibusdam, ceteris plus mille assibus legatorum nomine mortisve causa capere permissum non est. sed et haec lex non perfecit quod voluit; qui enim verbi gratia quinque milium aeris patrimonium habebat, poterat quinque hominibus singulis millenos asses legando totum patrimonium erogare.*

22) Par. ibid.: *ἀλλ᾽ ἐτέθη ἐν δευτέρᾳ τάξει ὁ Vocónios νόμος, ὅστις εἶπε μηδὲν πλέον λαμβάνειν τὸν λῃγατάριον τοῦ κληρονόμου· καὶ αὐτὸς δὲ εὐανάτρεπτος. εἰ γάρ τις ἑκατὸν νομίσματα ἔχων ἐνεστήσατό με κληρονόμον καὶ ἐννενήκοντα ἐννέα λῃγαταρίοις ἐλῃγάτευσεν ἀνὰ ἓν νόμισμα, οὐδὲ τὸν νόμον ὑπερέβαινε καὶ πάλιν ἐδίδου χώραν τῇ repudiatíoni· δι᾽ ἓν γὰρ νόμισμα οὐκ ἠνείχετο ὁ κληρονόμος ὁλοκλήρου κληρονομίας ὑπεισελθεῖν βάρη.*

G. II 226: *ideo postea lata est lex Voconia, qua cautum est, ne cui plus legatorum nomine mortisve causa capere liceret quam heredes caperent . . . . sed tamen fere vitium simile nascebatur; nam in multas legatariorum personas distributo patrimonio poterat* ⟨*testator*⟩ *adeo heredi minimum relinquere, ut non expediret heredi huius lucri gratia totius hereditatis onera sustinere.*

23) Par. II 23, 3: *ὁ δὲ ταύτην δεξάμενος ἐν μὲν τοῖς ἀρχαιοτάτοις χρόνοις ἀγοραστοῦ τάξιν ἐπεῖχε . . . . καὶ ὁ κληρονόμος ἑνὸς νούμμου τὴν πᾶσαν ἐπίπρασκε κληρονομίαν καί τινες ἐπερωτήσεις ἐγίνοντο μεταξὺ τοῦ κληρονόμου καὶ τοῦ fideicommissaríu, καὶ ἐγένοντο αἱ ἐπερωτήσεις ʻemptae uenditae hereditatisʼ. ἐπερώτα γὰρ ὁ κληρονόμος τὸν fideicommissárion οὕτως· ʻὁμολογεῖς, ὦ fideicommissárie, ἐὰν ἀπαιτηθῶ τι ὑπὸ hereditaríu credítoros διδόναι μοι τοῦτο ἤγουν καὶ defendeúein με καὶ περιποιεῖν μοι τὸ ἀνενόχλητον;ʼ καὶ ἔλεγεν ὁ fideicommissários· ʻὁμολογῶʼ. ἀντεπερώτα δὲ καὶ ὁ fideicommissários τὸν κληρονόμον οὕτως· ʻὁμολογεῖς, ὦ κληρονόμε, ἐὰν ἀπαιτήσῃς hereditárion debítora διδόναι μοι τοῦτο ἤγουν καὶ ἐκχωρεῖν μοι τὰς ἀγωγὰς ὥστε δυνηθῆναί με procuratorio nomine κινῆσαι ταύτας;ʼ . . . . καὶ ἔλεγεν ὁ κληρονόμος· ʻὁμολογῶʼ.*

G. II 252: (*olim autem nec heredis loco erat nec legatarii*), *sed potius emptoris. tunc enim in usu erat ei cui restituebatur hereditas, nummo uno eam hereditatem dicis causa venire; et quae stipulationes* ⟨*inter venditorem hereditatis et emptorem interponi solent, eaedem interponebantur*⟩ *inter heredem et eum cui restituebatur hereditas, id est hoc modo: heres quidem stipulabatur ab eo cui restituebatur hereditas, ut quidquid hereditario nomine condemnatus solvisset, sive quid alias bona fide dedisset, eo nomine indemnis esset, et omnino si quis cum eo hereditario nomine ageret, ut recte defenderetur; ille vero qui recipiebat hereditatem, invicem stipulabatur, ut si quid ex hereditate ad heredem pervenisset, id sibi restitueretur, ut etiam pateretur eum hereditarias actiones procuratorio aut cognitorio nomine exequi.*

24) Par. IV 6, 15: *condicere ἐστὶ κατὰ τὴν ἀρχαίαν*

διάλεκτον τὸ παραγγεῖλαι· πάλαι γὰρ ὁ ἔχων δίκην πρός τινα παρήγγειλεν αὐτῷ, ὅτι ἐλθὲ τῇδε τῇ ἡμέρᾳ, ὡς δικασόμενος μετ' ἐμοῦ.

G. IV 18: *condicere autem denuntiare est prisca lingua . . . . nam actor adversario denuntiabat, ut ad iudicem capiendum die XXX adesset.*

25) Par. II 23, 1: *συνέβαινε πολλάκις Ῥωμαῖον τελευτᾶν ἔχοντα συγγενεῖς peregrinus, οἷς οὐδὲ κληρονομίαν οὐδὲ ληγάτα καταλιμπάνειν ἐξῆν διὰ τὸ διαφόρου πολιτείας εἶναι. ἐκάλει . . . .*

G. II 284. 285: *erant etiam aliae differentiae, quae nunc non sunt. ut ecce peregrini poterant fideicommissa capere; et fere haec fuit origo fideicommissorum.*

26) Par. III 12, pr.: *ἐγίνετο δευτέρα προσέλευσις ὑπ' αὐτῶν αἰτούντων, ὥστε αὐτοῖς ἐξουσίαν εἶναι, ἕνα ἐξ αὐτῶν προβάλλεσθαι τὸν ὀφείλοντα διαπωλῆσαι τὴν περιουσίαν . . . . . ἐχειροτόνουν ἐξ αὐτῶν ἕνα, ὅστις ἐλέγετο μάγιστρος.*

G. III 79: *postea iubet convenire creditores et ex eo numero magistrum creari, id est eum per quem bona veneant.*

27) Par. IV 6, 13: *praeiudicium δέ ἐστι τύπος ἀπὸ ἰντεντίωνος μόνης συγκείμενος.*

G. IV 44: *certe intentio aliquando sola invenitur, sicut in praeiudicialibus formulis.*

28) Par. IV 15, 7: *ἀμέλει καὶ ὁ πραίτωρ, ἡνίκα ἐδίδου αὐτοῖς τὰ ἰντέρδικτα, μέσῃ ἐκέχρητο ὁμιλίᾳ . . . ἐπὶ γὰρ τοῦ uti possidetis ἔλεγε ταῦτα τὰ ῥήματα· uti possidetis, quominus possideatis, uim fieri ueto . . . . ἐπὶ δὲ τοῦ utrubi τούτοις κέχρηται τοῖς ῥήμασιν· utrubi uestrum seruus ille quo de agitur maiore parte huius anni fuerit, quominus is eum ducat, uim fieri ueto.*

G. IV 160: *quippe praetor pari sermone cum utroque loquitur. nam summa conceptio eorum interdictorum haec est: 'uti nunc possidetis, quominus ita possideatis, vim fieri veto'; item alterius: 'utrubi hic homo de quo agitur [apud quem] maiore parte huius anni fuit, quominus is eum ducat, vim fieri veto'.*

29) Par. IV 10, 2: *καὶ τὴν μὲν ἰντεντίωνα . . . . λαμβάνει ἀπὸ τοῦ δεσπότου, εἰς ἑαυτὸν δὲ μεταστρέφει τὴν κονδεμναιίωνα.*

G. IV 86: *qui autem alieno nomine agit, intentionem quidem ex persona domini sumit, condemnationem autem in suam personam convertit.*

II.

1) Par. I 2, 7: *κατεξαίρετον δὲ τὸ νομοθετεῖν δεδώκασι τῷ praétori τῷ urbáνῳ καὶ τῷ praétori τῷ peregríνῳ....*

G. I 6: *sed amplissimum ius est in edictis duorum praetorum, urbani et peregrini.*

2) Par. I 5, 4: *ἔστιν, ὡς εἶπον, φυσικὴ δεσποτεία καὶ ἔννομος δεσποτεία. καὶ ἡ μὲν φυσικὴ λέγεται in bonis καὶ ὁ δεσπότης βονιτάριος, ἡ δὲ ἔννομος λέγεται ex iure Quiritium.*

G. I 54: *ceterum cum apud cives Romanos duplex sit dominium (nam vel in bonis vel ex iure Quiritium vel ex utroque iure cuiusque servus esse intellegitur), ...*

3) Par. ibid.: *εἰ δέ τις ἀμφοτέρας ἔσχε τὰς δεσποτείας, ἐλέγετο pleno iure dominus.*

G. II 41: . . . *pleno iure incipit, id est et in bonis et ex iure Quiritium tua res esse . . . .*

4) Par. I 20, pr.: *ὃς* (sc. *ἐπίτροπος*) *ἐκ τοῦ νομοθέτου τοῦ εὑρόντος λέγεται Atilianós.*

G. I 185: . . . . *qui Atilianus tutor vocatur.*

III.

1) Par. III 15, 1: *ἀλλὰ τὸ μὲν spondes? spondeo οὐ μεταφράζεται ἑλληνιστί.*

G. III 93: *sed haec quidem verborum obligatio 'dari spondes? spondeo' propria civium Romanorum est.*

Apud Iustinianum haec quidem non leguntur, attamen de Gaio cogitandi necessitas nobis minime imponitur; nam quamquam sollemnitas obligationis verborum typicorum, quae Iustinianus e Gaio in hanc paragraphum transtulit, Leoniana, ut ipse infra dicit, constitutione sublata iam erat,

tamen, si latina vel graeca lingua stipulatio concipiebatur, etiam tunc temporis et cetera verba *(promitto* = *ὁμολογῶ, fide promitto* = *πίστει κελεύω, dabo* = *δώσω, faciam* = *ποιήσω)* et verbum *spondeo* forensis sermonis maxime in usu fuisse cum ex sequentibus titulis Iustinianarum Institutionum facile intelleges, in quibus *spondeo* quavis in paragrapho saepius occurrit, tum ex III 20, 7, ubi expressis verbis dicitur: *graece fideiussor plerumque ita accipitur: τῇ ἐμῇ πίστει κελεύω κτλ.* Quae cum vix negari posse arbitrer, id quoque persuasum habeo, ex vetere usu una cum iis verbis etiam consuetudinem verbi *spondeo* graece non reddendi ad Iustiniani tempora propagatam esse. Quapropter si contendemus Paraphrastae ex sui temporis usu forensi satis notum fuisse verbum *spondeo* nonnisi latine dici solere ideoque, cum (secundum consuetudinem suam verba latinis litteris in Paraphrasin translata postea graecis, quae responderent, vocabulis interpretandi) cetera verba sollemnia graece redderet, hoc unum non redderet, ex ipsa rei natura sequi, ut causam, cur hoc uno in vocabulo a consuetudine recederet, expressis verbis commemoraret, a vero non aberrabimus. Accedit, quod ordo illorum verborum sollemnium alius apud Gaium est, alius in Iustinianis Institutionibus et in Paraphrasi: in his enim verba *dabis? dabo* quinto loco leguntur, apud illum secundo.

2) Miror quod etiam libri III titulo XXI tamquam exemplo eiusmodi consensionis uti voluit Ferrinius: in quo nihil quod inter Paraphrasten et Gaium commune esset deprehendi nisi quod apud utrumque *litteris obligatio (litteris ἐνοχή)* exstat, cum in Institutionibus *scriptura .... obligatio* legatur. Sed cum vocabulum *litteris (obligatio)* linguae forensi aptius et usitatius esset, facile fieri potuit, ut consulto Paraphrastes latinum textum emendaret; cum praesertim alibi ipsi huius Institutionum partis compositori vocabulum *litteris* in usu fuerit: cf. III 13, 2: *harum* (sc. obligationum) *aeque quattuor species sunt: aut enim re contrahuntur aut verbis aut litteris aut consensu.*

Fortasse eo potissimum nomine consentire Gaium et

Paraphrasten ratus est Ferrinius, quod ea, quae de litterarum obligatione dicuntur, uterque exemplis illustrat: G. III 129 *veluti si id quod tu ex emptionis causa aut conductionis aut societatis mihi debeas, id expensum tibi tulero;* Par. III 21: *εἰ γάρ τις ἐχρεώστει μοι ἑκατὸν νομίσματα ἀπὸ ἀγορασίας ἢ μισθώσεως ἢ δανείσματος ἢ ἐπερωτήσεως, ... ἠβουλόμην δὲ τοῦτον ὑπεύθυνον ποιῆσαι τῇ litteris ἐνοχῇ, ἀνάγκη ἦν τυπικὰ λέγειν καὶ γράφειν τὰ ῥήματα κτλ.* Iustinianus eo de quo agitur loco nihil simile habet. Sed duo illa exempla si inter se comparaveris, nihil in iis commune esse cognosces nisi verba *emptionis causa aut conductionis* (*ἀγορασίας ἢ μισθώσεως*), pro Gai vero vocabulo *societas*, cuius loco in graeco textu *κοινωνία* erat exspectandum, duo alia verba (*δάνεισμα* et *ἐπερώτησις*) leguntur; quamquam ex posteriore titulo elucet usitatum fuisse Paraphrastae hoc verborum in conexu vocabulum *κοινωνίαν* (*ἐν τῇ ἀγορασίᾳ καὶ πράσει καὶ μισθώσει καὶ κοινωνίᾳ καὶ ἐντολῇ*). — Neque magis id verisimile esse existimo, si re vera haec ex Gaio hauriret Paraphrastes, futurum fuisse, ut divisionem, quam ille (III 128) in nominibus transcripticiis facit *(a re in personam vel a persona in personam),* Paraphrastes prorsus neglegeret.

Ex hac tanta copia locorum Iustiniani textui additorum apparet fuisse Paraphrasten iureconsultum iuris historiae studio praecipue deditum. Et cum Gaianas Institutiones Iustiniani aetate fere solas iureconsultorum scholarum usui inservisse probabile sit et ex magistrali Paraphraseos forma habituque satis intellegatur eius auctorem fuisse ipsum magistrum iurisprudentiae, consentaneum est ea, quae addiderit, praecipue apud Gaium eum requisivisse. Simul autem intellegitur propter cotidianum Gai usum multa adeo memoria tenuisse Paraphrasten, ut non denuo requireret apud Gaium, sed potius e memoria adderet; id quod pluribus fortasse locis, quam ego statuere conatus sum, statuendum erat. In universum tamen recte iudicasse Ferrinium de locis ad iuris historiam pertinentibus concedendum est.

§ 7.

Praeter hos, qui ad iuris historiam pertinent, locos Ferrinius non pauca congessit ex Gaio et ex Paraphrasi ad dicendi genus vel ad singulas locutiones vel ad res non historici, sed iuridici argumenti spectantia, quae adeo congruere Ferrinio visa sunt, ut *τὸ κατὰ πόδας* Gaianum Paraphrastae fundamento fuisse contenderet. Attamen has adfinitates omnes non Gai auctoritati, sed casui tribuendas esse demonstrare conabor.

Argumentorum, quae huc pertinent, copiam ita divisit Ferrinius, ut

I. de iis locis dissereret, qui leguntur in Paraphrasi et apud Gaium, desiderantur in Institutionibus,

II. nonnulla inesse in Paraphrasi contenderet, quae nonnisi ad Gaianarum Institutionum dilucidationem referri possent,

III. de iis locis diceret, in quibus Paraphrastes una cum Gaio aliam verbi personam usurpat atque Iustinianus,

IV. multos locos historici argumenti esse contenderet, quibus et Paraphrastes et Gaius praesenti tempore utuntur, Iustinianus praeterito,

V. eos locos afferret, quibus Paraphrasis cum Gaio consentit, dissentit ab Institutionum textu.

De singulis igitur dispiciamus.

I.

1) Par. II 6, pr.: *ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὁ δωδεκάδελτος.*

G. II 42: *et ita lege XII tabularum cautum est.*

Hoc argumentum facile infirmatur. Etenim quam recte identidem monuerim magistralem in modum Paraphrasin conscriptam esse, hic quoque locus ostendit. Est enim magistrorum vel omnino eorum, qui oratione aliquam rem explicant, ut absoluta ea re talibus verbis, quales hic leguntur, orationem finiant. Quod idem Paraphrastae in usu fuisse multi loci docent, ubi eiusdem modi verba addidit latino textu minime postulante: cf. II 16, 3 *ταῦτα μὲν περὶ τῆς uulgarías;* praeterea II 2, pr. 6, pr. 6, 7. 9, 4; III 19, 19;

IV 6, 2. 11, pr. (med.) etc., in quibus omnibus et Gaius et Iustinianus illis verbis carent.

Atque ceteros libros scholarum in usum magistralemque in modum saeculo p. Chr. n. sexto conscriptos si comparaverimus, saepissime similia occurrere videbimus: e. g. Choeroboscus ille, quem grammaticum supra pag. 26 in censum vocavi, in dictatis ad Theodosii canones permulta capita isdem vel similibus verbis concludit, sive ita ut generaliter dicat: *ταῦτα μὲν ἐν τούτοις*, sive ita ut specialiter: veluti *ταῦτα μὲν περὶ τῶν συζυγιῶν, ταῦτα μὲν ὁ τεχνικὸς Ἀπολλώνιος*, alia multa.

2) Par. II 13, 2: *καὶ τοῦτο τῷ Iulίῳ Velléῳ νόμῳ εἴρηται, ὅστις νόμος κατὰ μίμησιν τῶν postúmωn exheredátus αὐτοὺς εἶπε γενέσθαι, τουτέστι τὸν μὲν ἔκγονον nominatim, ⟨τὴν δὲ ἐκγόνην nominatim⟩ [τὰς θυγατέρας καὶ ἐκγόνους] ἢ inter ceteros μετὰ δόσεως ληγάτου.*

G. II 134: *idque lege Iunia Vellaea provisum est, in qua simul exheredationis modus notatur, ut virilis sexus ⟨postumi⟩ nominatim, feminini vel nominatim vel inter ceteros exheredentur, dum tamen iis qui inter ceteros exheredantur, aliquid legetur.*

Iust. II 13, 2: *idque lege Iunia Velleia provisum est, in qua simul exheredationis modus ad similitudinem postumorum demonstratur.*

Hoc loco Iustinianus nepotum neptiumque exheredandorum modum cum non specialiter explicasset, sed ad postumos, de quibus exheredandis supra dixerat, lectores delegasset, necessarium visum est Paraphrastae pro magistrali Paraphraseos forma exheredationis modum fusius exponere. Idem in Paraphrasi tam saepe fit contra latini fundamenti auctoritatem, ut non opus sit exempla afferre. Itaque mihi quidem multo videtur verisimilius Paraphrasten ex praecedente ipsius Iustiniani paragrapho, ad quam expressis verbis delegabatur, illa verba hausisse quam ex Gaio. Legitur enim apud Iustinianum (isdem fere verbis, quibus apud Gaium II 132) de postumis II 13, 1: *sed feminini quidem sexus personae vel nominatim vel inter*

ceteros exheredari solebant, dum tamen, si inter ceteros exheredentur, aliquid eis legetur, ... masculos vero postumos . . . . placuit non aliter recte exheredari, nisi nominatim exheredentur.

3) Par. II 16, 3: *οὕτω γὰρ γενομένης τῆς pupillarías (sc. ὑποκαταστάσεως), ἕξει τὸ ἀνεπιβούλευτον ὁ παῖς· οὔτε γὰρ περιόντος αὐτοῦ τοῦ πατρὸς ἐπιβουλεύεται διὰ τὸ πᾶσαν κεκλεῖσθαι τὴν διαθήκην, οὔτε μετὰ τελευτὴν τοῦ πατρὸς διὰ τὸ ἀγνοεῖσθαι τὰ ἐν τῇ pupillaríą ὑποκαταστάσει γεγραμμένα.*

G. II 181: ⟨*nam*⟩ *vulgaris substitutio . . . ., quo casu nullum substituti maleficium suspicari possumus, cum scilicet vivo testatore omnia quae in testamento scripta sint, ignorentur.*

Hunc Paraphraseos locum Gai verbis non respondere et ea docet differentia, quod alter de pupillari substitutione, alter de vulgari loquitur, et sententiarum dispositio — Gaius enim de vivo testatore loquitur, Paraphrastes ea verba, quae Gaianis respondent *(διὰ τὸ ἀγνοεῖσθαι κτλ.)* ad condicionem *μετὰ τελευτὴν τοῦ πατρός* refert —, neque dubito, quin Ferrinius, si primam huius paragraphi partem respexisset, potius illud *οὗτος γὰρ ἐπίβουλος εἶναι οὐ δυνήσεται τῷ ἀνήβῳ, οὔτε ζῶντος τοῦ πατρός, ἀγνοεῖται γὰρ τὰ ἐν τῇ διαθήκῃ γεγραμμένα* ad sententiam suam comprobandam petiturus fuerit. Sed ne hoc quidem persuaderi mihi potest ex Gaio sumptum esse, cum alia explicatio in promptu sit. Plerumque enim fit, ut Paraphrastes rei alicuius causam addat, quae causa in textu latino desideratur: cf. hanc ipsam de qua agitur paragraphum, cuius in prima parte post verba, quae modo citavi, legitur *οὔτε μετὰ τελευτὴν τοῦ διαθεμένου· ἤδη γὰρ ἀναφανεὶς ὁ παῖς τῷ πατρὶ κληρονόμος οὐ δίδωσι χώραν τῷ uulgaríῳ ὑποκαταστάτῳ*, quae neque apud Iustinianum neque apud Gaium invenies; cf. praeterea I 2, 7. 5, pr. 10,5; II 4,4. 6,12. 18,4. 23,3. 24,2; III 1,15; IV 1,16. 7,4 etc. Atque si omnino causam, cur maleficium pupillo suspicari non liceat, hic addere volebat auctor, aliis verbis uti vix potuit atque iis, quae in Paraphrasi hoc loco leguntur. Neque

vero Iustiniani textui haec maleficii, quod pupillo existere possit, notio deest. legitur enim II 16, 3: *sin autem quis ita formidolosus sit, ut timeret, ne filius ..... post obitum eius periculo insidiarum subiceretur etc.* Et respondet quidem *ἐπιβουλεύεσθαι* multo melius verbo *insidiae* quam Gai *maleficio,* cuius vice alibi vel *κακουργία* fungitur (IV 5, 3) vel *ἁμάρτημα* (IV, 1, pr. 6, 1. 6, 18).

4) Par. II 20, 27: *ἔστω ἐπίτροπος τοῦ ἐμοῦ παιδὸς ὁ πρῶτος ἐρχόμενος ἐπὶ τὴν ἐμὴν κηδείαν.*

Idem fere legitur G. II 238, ubi de incertis personis legando agitur: *qui primus ad funus meum venerit, ei heres meus X (milia) dato.*

Ex iis, quae citavi, iam perspicitur alio loco Paraphrasten hanc formulam usurpasse, alio Gaium, cum alter de tutore dando loquatur, alter de legatis. Tamen huius formulae notitiam lectioni Gaianarum Institutionum debere Paraphrasten non omni modo negaverim; nego tantam esse adfinitatem, ut Ferrinii coniectura inde possit comprobari. Nam si re vera Gai Institutiones vel *τὸ κατὰ πόδας* Gaianum Paraphrasi pro fundamento erant, eo loco haec formula exspectanda erat, ubi apud Gaium legitur, sc. II 20, 25. Ibi vero, etsi nonnullae eiusmodi formulae et apud Iustinianum et in Paraphrasi leguntur, haec non minus desideratur quam in Iustinianis Institutionibus.

5) Par. II 8, 2 (ubi de iis agitur, quibus alienare non licet): .... *ἆρα δὲ ὁ debítωr ἠλευθέρωται τῆς ἐνοχῆς; καὶ λέγομεν ὅτι οὐδαμῶς. εἰ γὰρ εἴπωμεν ἐλευθεροῦσθαι τὸν χρεώστην, εὑρίσκεται ἐκποιῶν τὴν ἐνοχὴν ὁ púpillos, ἐξ ὧν λαμβάνει τὸ χρέος sine tutoris auctoritate, ὅπερ κεκώλυται.*

G. II 84: ..... *sed ipse non liberatur, quia nullam obligationem pupillus sine tutoris auctoritate dissolvere potest, quia nullius rei alienatio ei sine tutoris auctoritate concessa est.*

Iust.: *ideoque si debitor pupillo solvat, necessaria est tutoris auctoritas: alioquin non liberabitur.*

Eam quoque quae hic inter Gaium et Paraphrasin

intercedit similitudinem casu ortam esse si contendimus, falli nobis non videmur. Ac primum quidem hoc consideres, quod identidem monuimus, fuisse Paraphrastae in deliciis et quam accuratissime in singularum rerum causas inquirere et in interrogationis responsique formam orationem redigere. Et hac imprimis in paragrapho omnia multo ampliore quam in Institutionibus et apud Gaium explicatione distrahuntur. Itaque cum Paraphrastes quaereret, utrum debitor liberaretur necne, atque illud fieri negaret, deinde ex consuetudine sua causam afferre vellet, cur non liberaretur, consentaneum erat eam rem afferri, qua omnino totius capitis argumentum contineretur, id est *tutoris auctoritatem.* In initio enim dicitur: Iust.: *nunc admonendi sumus neque pupillum neque pupillam ullam rem sine tutoris auctoritate alienare posse.* (Par.: *οἷον ὁ púpillos ἡ pupílla οὐ δύνανται ἐκποιεῖν τὰ ἑαυτῶν πράγματα sine tutoris auctoritate*). Quo certius fiat facile hunc Gai et Paraphrastae consensum Paraphraseos formae et habitui tribui posse, conferas quae ex eadem paragrapho supra exscripta sunt, in quibus Paraphrastes contra Gai et Iustiniani auctoritatem eandem in explicando rationem sequitur: *τί οὖν, ὅτι ἐδάνεισε παρὰ γνώμην τοῦ ἐπιτρόπου, ἆρα ἔρρωται τὸ δάνεισμα; καὶ λέγομεν ὅτι οὐδαμῶς· εἰ γὰρ ἐπὶ τοῦ δανείου ὁ λαβὼν γίνεται δεσπότης, οὐ γίνεται δὲ ἐνταῦθα, ἐπειδὴ ὁ púpillos ἐκποιεῖν οὐ δύναται δίχα τοῦ ἐπιτρόπου. οὐκοῦν οὐδὲ συνέστη τὸ δάνεισμα, οὐδὲ ἔνοχος ἐγένετο ὁ λαβών*, quae apud Iustinianum hoc modo se excipiunt: *ideoque si mutuam pecuniam alicui sine tutoris auctoritate dederit, non contrahit obligationem,* atque eadem fere apud Gaium (II 81. 82) leguntur; cf. etiam I 2, 6. 17, pr.; II 13, 2 etc. Itaque fieri potuit, ut ea quoque, de quibus hic agitur, sua sponte scriberet Paraphrastes, non Gai auctoritate commotus.

6) Par. III 19, 12: *ἄχρηστος ἡ ἐπερώτησις* (scil. *τοῦ pridie quam moriar*) *ὑπῆρχε, διὰ τὸ εἰς τὸ post mortem ἀνάγεσθαι τὸ pridie· τὴν γὰρ πρὸ μιᾶς ἐκ τῆς τελευτῆς γινώσκομεν.*

G. III 100: *rursum ita stipulari non possumus ʿpridie*

quam moriar' aut 'pridie quam morieris, dari spondes?' quia non potest aliter intellegi 'pridie quam aliquis morietur', quam si mors secuta sit.

Prima quidem specie mira est haec adfinitas: verum si quis ea, quae pluribus iam locis de Paraphrastae usu rerum origines et causas latius evolvendi demonstrare conatus sum, respexerit, hunc consensum pari modo explicari posse concedet. Adde, quod Gaius argumentationem suam latius et quasi ad finem profert, cum pergat: *rursus morte secuta in praeteritum reducitur stipulatio et quodammodo talis est 'heredi meo dari spondes?' quae sane inutilis est*: quam argumentationem Paraphrasten, si re vera ex Gaio hunc locum hauriret, omisisse vix mihi credibile videtur.

7) Par. IV 3, 13: . . . *τὸ τετράποδον, ὅπερ οὐ συναριθμεῖται τοῖς πεκούδοις, οἷον κύνα, ἢ θηρίον ἄγριον, ἄρκτους ἢ λέοντας ἢ λύκους* . . . .

G. III 217: . . . . *quadrupedem quae pecudum numero non est, veluti canem, aut feram bestiam, veluti ursum, leonem* . . . .

Iust.: . . . . *quadrupedem quae pecudum numero non est, veluti canem aut feram bestiam* . . . .

Illa adfinitas quamvis obiter inspicientibus mira videatur, tamen, si accuratius eam perpenderis, nullius momenti erit. Nam consentaneum erat pro Paraphrastae arte scribendi singula exemplis illustrari, quod quo magis hic fieret, praecedentium verborum *τὸ τετράποδον* .... *οἷον κύνα* maxime suasit analogia. Itaque hanc quoque adfinitatem magistrali Paraphraseos formae vindicandam censeo, praesertim cum praeter Gai *ursum* et *leonem* etiam *λύκος* in ea inveniatur.

Ceterum est ubi dubites, utrum eiusmodi additamenta ex ipsius Paraphrastae calamo manaverint an ab eo, qui codicem archetypum Paraphraseos exaravit, interpolata sint. Sane absonum est a loquendi usu Paraphrastae, quod ferarum bestiarum species *ἀσυνδέτως* adnexae sunt praecedentibus deficiente verbo *οἷον*, quo in simili verborum conexu uti solet Paraphrastes.

8) Ultimum huius generis argumentum legitur IV 6, 33[d], ubi agitur de eo, qui causa plus petit. Et videtur quidem prima specie illud: *ἔσϑ' ὅτε γὰρ δυσχερεστέρα ἐστὶν ἡ καταβολὴ τῷ ῥέῳ τῶν δέκα νομισμάτων, ἤπερ τοῦ οἰκέτου* optime iis respondere, quae cum apud Gaium IV 53[a] exstent: *quia potest adversarius interdum facilius id praestare quod non petitur,* apud Iustinianum hoc quidem loco desiderantur. Sed in huius paragraphi fine etiam apud Iustinianum simile aliquid habes: *quia saepe accidit, ut promissori facilius sit illud solvere, quod maioris pretii est.* Itaque si ex hoc potius loco illa verba hausta esse contendemus, vix errabimus. Nam homo ille litteratus et iureconsultus, qui Paraphrasin composuit, non solum praecedentium, sed etiam sequentium, praesertim eiusdem paragraphi, verborum rationem habere poterat.

II.

1) In altera argumentationis suae parte Ferrinius primo loco hoc argumentum affert: Legitur G. I 3: *unde olim patricii dicebant plebiscitis se non teneri, quia sine auctoritate eorum facta essent.* His igitur ex verbis Ferrinius illum de senatusconsultis et plebiscitis excursum (conf. Pomponium Dig. I 2, 2, 8. 9), qui legitur Par. I 2, 5, ortum esse contendit: *ἀλλ' ἔχει τις εἰπεῖν· πῶς δυνάμενοι συνιέναι καὶ legem ἤγουν νόμον ποιεῖν εἰς διαφόρους διῃρήϑησαν τῶν νόμων ὀνομασίας; ἡ δὲ αἰτία ἐστὶν αὕτη. Ἐν τῇ Ῥώμῃ πολυανϑρώπῳ οὔσῃ, οἷα φιλεῖ γίνεσϑαι, στάσις καὶ διχόνοιά τις ἀνεφύη μεταξὺ τῶν συγκλητικῶν καὶ τοῦ χυδαίου δήμου . . . . ἐπειδὴ δὲ τὰς ἔχϑρας ἀϑανάτους μένειν αὐτοῖς οὐκ ἐνῆν, Orténsiós τις φιλόπολις ὢν συνεβούλευσεν αὐτοῖς ἀποτίϑεσϑαι μὲν τὴν πρὸς ἀλλήλους δυσμένειαν, εἰς ὁμόνοιαν δὲ τραπῆναι τὰ διὰ τὴν ἔχϑραν συμβαίνοντα δυσχερῆ διηγησάμενος καὶ πείσας εἰς φιλίαν συνήλασε. συνελϑόντων οὖν κατὰ ταὐτό, ὁ χυδαῖος ἐβούλετο δῆμος τὰ παρ' αὐτοῦ νομοϑετηϑέντα κρατεῖν καὶ κατὰ τῶν συγκλητικῶν, ἀπῄτει δὲ καὶ ἡ σύγκλητος, ὥστε τὰ senatusconsulta καὶ κατὰ τῶν ἰδιωτῶν ἰσχύειν. καὶ ἑκατέρων ἐναντιουμένων καὶ τῶν μὲν συγκλητικῶν ἀπαξιούντων δέχεσϑαι τὰ*

plebiscita, τοῦ δὴ χυδαίου δήμου δυσανασχετοῦντος καὶ τοῖς senatusconsúltois ὑποκύπτειν μὴ βουλομένου, ἔμελλεν ἀνανεοῦσθαι τὰ τῆς ἔχθρας, μέχρις οὗ ὁ αὐτὸς Orténsios παύσας αὐτῶν τὴν διχόνοιαν ἔπεισε τὰς ἀλλήλων δέξασθαι νομοθεσίας καὶ ταύταις ὑπείκειν.

Quod huius excursus verba *καὶ τῶν μὲν συγκλητικῶν ἀπαξιούντων δέχεσθαι τὰ plebiscita* ad eorum Gai verborum, quae supra exscripsi, similitudinem conformata esse Ferrinius putat, id toto huius excursus habitu aliquo modo refelli facile quivis concedet. Ac ne id quidem persuaderi mihi potest, illa Gai verba causam fuisse, cur hic excursus orationi insereretur, cuius origo vel ex Iustiniani textu vel ex tota Paraphraseos indole explicari posse videatur. In exordio enim huius excursus expressis verbis se ideo hunc facere profitetur Paraphrastes, quia discipulis non satis eruditis mirum videri possit Romae tam diversas legis appellationes fuisse. Et saepius factum est, ut, si qua res in Institutionibus parum clara et perspicua esset, longioribus excursibus Paraphrastes eam explicaret, quos plerosque verbis *ἀλλ' ἔχει τις εἰπεῖν* incipit: cf. I 2, 6. 14, 1. 17; II 6, 7. 16, 4 etc.

Praeter haec etiam lege Hortensia, cuius hoc loco apud Iustinianum quoque mentio fit (I 2, 4: *sed et plebi scita lege Hortensia lata non minus valere quam leges coeperunt*), ad hunc excursum conscribendum Paraphrasten commotum esse probabile est, siquidem ea lege summa totius excursus continetur. Quae cum ita sint, de Gai auctoritate hic cogitandi necessitas nobis nulla imponitur. Ceterum de hoc Paraphrastae excursu conferas Ludovicum Lange 'Roemische Alterthuemer' II² pag. 106.

2) Debitam pecuniam non deduci ex peculio his verbis docet Gaius IV 73: *aliquando tamen id quod ei debet filius servusve qui in potestate patris dominive sit, non deducitur ex peculio,* cum apud Iustinianum (IV 7, 4c) *filium* et *patrem* desideres. Itaque Ferrinius illud Paraphraseos *τὸ αὐτό ἐστιν, εἰ καὶ ὁ σὸς ⟨υἱὸς⟩ ὑπεξούσιος ἔχει οἰκέτην ἐν τῷ ἰδίῳ peculio κτλ.* propter notionem *filii,* cuius Gaius men-

tionem facit, ad Gai exemplum conformatum esse contendit. Sed hoc quoque optimo iure magistrali Paraphraseos formae tribui posse intelleges, si totam hanc paragraphum quomodo Paraphrastes formaverit, perpenderis. Cum enim Iustinianus secundum ea, quae in huius tituli prooemio dicit: *et quia, sive cum servis negotium gestum sit sive cum his qui in potestate parentis sunt, fere eadem iura servantur, ne verbosa fiat disputatio, dirigamus sermonem in personam servi dominique, idem intellecturi de liberis quoque et parentibus,* etiam hic nonnisi de servo loquatur, Paraphrastes more consueto copiosiore usus oratione *filium* quoque introducit. Nam etsi Iustiniani, quae modo citavi, verba eadem in Paraphrasi leguntur, tamen propter Paraphrastae genus dicendi facile fieri potuit, ut propositi auctor oblivisceretur, quod idem in initio huius paragraphi accidit, ubi legitur *τουτέστι περὶ τῶν ἐν πράγμασι τοῦ πατρὸς ἢ καὶ δεσπότου στραφέντων,* cum Iustinianus solum dominum commemoret. — Atque omnino Paraphrastes totam rem ita expedivit, ut more consueto Iustiniani verba generaliter dicta duobus illustraret exemplis, quorum prius de servo ordinario et vicario factum Iustiniani textui *(quod eo pertinet, ut, si quid vicario suo servus debeat, id ex peculio eius non deducatur)* accurate se adplicat, cum secundum Gai verba primo loco illud quo de filio agitur exemplum exspectandum esset. Deinde non statim alterum exemplum sequitur, sed primum accuratius in causas inquirit Paraphrastes (*καὶ τίς ἐστιν ὁ λογισμός, ἀναγκαῖον εἰπεῖν*), cur id non deducatur ex peculio, tum exemplum quo de filio agitur sequitur, idque fere ad verbum secundum prius illud exemplum conformatum. Quare mihi quidem persuasum est exemplum de filio propter magistralem Paraphraseos formam ab ipso auctore additum esse, quo ille *λογισμός* discipulis apertior fieret. Accedit, quod in huius tituli paragraphis 1 et 2, quas Iustinianarum Institutionum compositores fere ad verbum ex Gaio (IV 70. 71) hauserunt, Paraphrastes aeque atque illi nonnisi de *servo dominoque* loquitur, cum Gaius ibi quoque *filii patrisque* mentionem faciat; neque verisimile videtur, si re vera *τὸ κατὰ πόδας*

Gai huic titulo pro fundamento fuisset, in altera paragrapho *filium* addidisse Paraphrasten, in altera omisisse.

3) Denique cum G. IV 111.: ⟨*cum*⟩ *imitatur* (scil. praetor) *ius legitimum* illud Paraphraseos comparare Ferrinium existimo — nam expressis verbis id non dixit vir doctissimus —, quod legitur IV 12, pr.: *ὁ δὲ bonorum possessor, καὶ πᾶς μιμούμενος κληρονόμον*, quae verba ab Iustiniani Institutionibus absunt. Hic quoque de Gai auctoritate non necessario cogitandum esse censeo, sed potius repetivisse Paraphrasten eam sententiam vel ex praecedentibus: *τῷ bonorum possessori, καὶ τοῖς λοιποῖς, οἵτινες κληρονόμου τάξιν ἐπέχουσιν*, quorum similia apud Iustinianum leguntur, vel ex II 23, 4, ubi de Trebelliano fideicommissario, ad quem hoc ipso loco delegat, Paraphrastes haec dicit: *ὡσανεὶ κληρονόμου αὐτοῦ ὑπάρχοντος* — et: *ἰδοὺ ἐνταῦθα τάξιν ἐπέχει κληρονόμου*. — Quae in verbis *imitatur* et *μιμεῖσθαι* adfinitas est, eam nihili aestimo. Nam id verbum vel substantivum *μίμησις* saepissime etiam tum usurpat auctor, ubi latino textu minime exigitur: cf. I 2, 6. 11, pr.; II 4, 2; III 4, pr. 9, 3; IV 1, 16, alia multa.

III.

In tertia commentationis parte Ferrinius cum Gaio interdum ita consentire ostendit Paraphrasten, ut uterque alia persona verbi utatur atque Iustinianae Institutiones, et illis quidem primam personam magis in deliciis fuisse quam alteram et tertiam. Quod nec mirum videbitur neque argumentationi meae obesse, si consideraverimus id quoque commune esse Paraphraseos et Gai Institutionum, quod non legum vice funguntur, sed scholarum in usum conscriptae sunt; cui usui aptissimum est illud genus dicendi, quo in explicanda aliqua re de nobis ipsis loquimur et id, quod generaliter dicendum est, exemplis e communi vitae usu, et imprimis nostrae, petitis illustramus: quae exempla a se ipso formata ita plerumque praecedentibus adnectit Paraphrastes, ut dicat *οἷον*, vel *ὡς ἐπὶ θέματος*, vel similia: cf. I 2, 6; II 20, 35. 22, 2; III 19, 21; IV 3, 10. 6, 31. 13, 3 etc. Eae vero, quae Iustiniani Institutiones dicuntur,

non privatim ab aliquo homine iureconsulto, sed imperatoris iussu conscriptae cum tamquam pro lege valerent, necesse erat eas legis formam imitari. Haec omnia ideo protuli, ut, si quando ab Iustiniani Institutionum consuetudine ita discrepare videatur Paraphrasis, ut cum Gaio consentiat, hanc rem casui potius et Paraphraseos indoli quam Gai auctoritati tribuas.

Dissentit autem verbi persona grammatica a Paraphrasta usurpata ab Iustiniano ita, ut cum Gaio consentiat, his, quos Institutionum Iustinianarum compositores ex Gaio exscripserunt, locis:

I 10, 2 (Par. et G. 1. pers. — Iust. 2.) I 15, 1 (id.) II 9, 3 sqq. (id.) II 9, 6 (id.) II 13, 2 (P. et G. 1. pers. — Iust. 3.) II 23, 2 (id.) III 19, 6 (P. et G. 1. — Iust. 2.) III 24, 4 (P. et G. 1. — Iust. *Titius*) III 26, 7 (id.) III 28, pr. (P. et G. 1. — Iust. 2.) III 29, 1 (P. et G. 1. et 2. — Iust. *debitor* et *Titius*) III 29, 3 (P. et G. 1. — Iust. *Seius*) IV 1, 8 (P. et G. 1. — Iust. *Maevius*) IV 4, 2 (P. et G. 1. — Iust. 3.) IV 10, pr. (id.) IV 13, 2 (id.) IV 15, 5 (id.).

Cum his statim compares eos locos, quibus Paraphraseos et Institutionum Iustinianarum compositores aliam personam praebent, aliam Gaius. Sunt autem hi:

II 1, 34 (P. et Iust. 3. — G. 1.) III 26, 10 (P. et Iust. 2. — G. 1.) IV 6, 14 (P. et Iust. 3. — G. 1.) IV 15, 5 (id.).

Utriusque generis exemplorum si numeros tantum inter se comparaveris, fieri non poterit, quin hac quidem in re Gaium magis quam Iustinianum Paraphrastae ante oculos versatum videri confitearis. Sed imminuitur horum numerorum pondus cum eo, quod dixi aptissimum esse Paraphraseos dicendi generi primae personae usum, tum his, quibus omnem difficultatem submotum iri confido, argumentis:

Ac primum quidem etiam iis locis, quos priore conspectu comprehendi, non tam accurate semper cum Gaio Paraphrasis consentit, ut omnimodo eum pro fundamento fuisse conicere liceat: veluti II 23, 2, ubi ita quidem Gaium

sequitur Paraphrastes, ut primam personam usurpet, tamen non plurali, sed singulari usus ab eo discrepat; vel III 29, 1, ubi Titi quidem nomen, quod apud Iustinianum legimus, una cum Gaio ignorat Paraphrasis, attamen, cum apud illum (III 169) legatur: *quod enim ex verborum obligatione tibi debeam, id si velis mihi remittere etc.*, in hac vero: *τὸ γὰρ ἐκ τῆς uerbis ἐνοχῆς ἐποφειλόμενόν μοι, τοῦτο εἰ βουληθῶ σοι συγχωρῆσαι κτλ.*, ita a Gai verbis dissentire apparet Paraphrasin, ut contra illum de eo, qui debet, alteram personam usurpet, de eo, cui debetur, primam; vel IV 10, pr., quo loco et in Paraphrasi et apud Gaium prima persona legitur (*καὶ δεῖ εἰδέναι, ὅτι τὰς ἀγωγάς, ἃς κινοῦμεν ἐν δικαστηρίοις, ἢ δι' ἡμῶν αὐτῶν, ὅ ἐστι suo nomine, κινοῦμεν, ἢ δι' ἑτέρων, ὅ ἐστιν alieno nomine* — G. *nunc admonendi sumus agere nos aut nostro nomine aut alieno*), cum Iustinianus pronomine indefinito utatur *(.... agere posse quemlibet aut suo nomine aut alieno)*; sed cum diserte Paraphrastes addat *ὅ ἐστι suo nomine*, quae verba nisi ex Iustiniani libris haurire vix poterat, huic loco quominus Gaium Paraphrasi pro fundamento fuisse negemus, nihil est quod impediat.

Accedit magnus numerus locorum, quibus cum Gaius et Iustinianus eadem verbi persona utantur, Paraphrastes neutrius auctoritatem sequitur: I 12, 5 (G. I 129). II 8, 1 (G. II 64). II 13, 4 (G. II 136). II 14, 1 (G. II 188). II 20, 26 (G. II 241). II 20, 34 (G. II 229). II 24, pr. (G. II 260). III 14, 1 (G. III 91). IV 12, 1 (G. IV 112), quibus omnibus Gaius et Iustinianus tertia, Paraphrastes prima persona utuntur, et II 6, 5 (G. II 50), ubi apud illos tertia, in hac altera persona legitur. Uno denique loco omnia tria opera inter se dissentiunt, sc. IV 14, pr., ubi apud Iustinianum *aliquis* et *debitor* legitur, apud Gaium (IV 126) prima et altera persona grammatica, in Paraphrasi prima persona et *δεβίτωρ*. — Haec omnia, licet supervacua et nimis ample enarrata videantur, ideo singillatim exposui, ut comprobetur non consulto in verbi personis usurpandis hunc illumve fontem secutum esse Paraphrasten, sed promiscue et casu modo cum Iustiniano, modo cum Gaio con-

sentire; neque igitur ea ex re, quod saepius cum hoc, rarius cum illo consentiat, conicere licet Gaium Paraphrasi pro fundamento fuisse.

IV.

In ea, quae de temporum usu exposuit Ferrinius in locis ad veteris iuris historiam pertinentibus, singillatim inquirere opus non esse existimo, quoniam multo acrius et agitatius dicendi genus esse Paraphraseos quam Institutionum Iustinianarum identidem monuimus.

V.

1) Par. I 8, 2: *Ἀντωνίνου τοῦ βασιλέως.*

G. I 53: *imperatoris Antonini.*

Iust. I 8, 2: *divi Pii Antonini.*

Hoc consensu Ferrinii coniecturam nullo modo corroborari, quamvis obiter inquisiveris in Paraphraseos genus dicendi, facile intellegas. Nam cum Institutionum Iustinianarum compositores, quippe qui ipsius imperatoris iussu et ad usum forensem scriberent, imperatorum defunctorum nominibus fere constanter sollemne illud *divus* praeponerent, in Paraphrasi modo nudum nomen proprium, modo *θειότατος*, modo *βασιλεύς* invenitur. Praeter ea, quae iam commemoravi, sexagies fere in Institutionibus leguntur nomina imperatoria, inter quae vicies nudum nomen proprium in Paraphrasin translatum est, sexies et vicies additum *θειότατος*, quattuordecies *βασιλεύς*. Neque omnino certam rationem Paraphrastes sequitur, neque vero ita, ut inter singulos imperatores distinguat alterum semper cum epitheto, alterum semper sine epitheto commemorans: Antonini enim nomen novies sine omni epitheto legitur, sexies additur *θειότατος*, bis *βασιλεύς*. Unde cum statuere liceat promiscue et sine certa ratione illis appellationibus Paraphrasten usum esse, illum, qui I 8, 2 cum Gaio exstat, consensum casui tribuere licet. Atque omnino saeculo p. Chr. n. sexto iureconsultorum in scholis promiscue modo additas esse illas appellationes, modo omissas Gai Institutionum codicis

Veronensis saeculo V—VI exarati exemplum docet, in quo modo legitur *divus,* modo omissum est[1]).

2) Par. I 10, 6: *οὐ δύναμαι λαμβάνειν πρὸς γάμον τήν ποτέ μου νύμφην ἢ τὴν ποτέ μου προγόνην. προστιθέντες γὰρ τό ʽποτεʼ δεικνύομεν μὴ ὑπόντα τὰ πρόσωπα τῆς ἀγχιστείας αἴτια γεγονότα.*

G. I 63: *ideo autem diximus ʽquondamʼ, quia si adhuc constant eae nuptiae etc.*

Iust.: .... *quod scilicet ita accipi debeat, si fuit nurus aut privigna: nam si adhuc nurus est etc.*

En memorabile adfinitatis testimonium. At vide modo, quantopere Paraphrastae in deliciis fuerit, si singulae res aut singula verba accuratius explicanda essent, isdem vel similibus, atque hic leguntur, verbis explicationem incohare. Quod recte dictum esse multi loci nos docent: cf. I 5, pr.: *ʽἐννόμουʼ δὲ προστίθεται κτλ.*; II 1, 40 *ʽσωματικὸνʼ μὲν διὰ τοῦτο εἶπον κτλ.*; vel I 10, 5. II 8, 2. 12, 3. IV 9, pr. etc., quibus locis omnibus neque Iustinianus neque Gaius similia praebent[2]).

3) Par. I 16, 3: *ὅπερ συμβαίνει ἐπὶ ἐκείνων, οἳ αὐτεξούσιοι ὄντες δεδώκασιν ἑαυτοὺς εἰς υἱοθεσίαν καὶ γεγόνασιν ὑπεξούσιοι.*

G. I 162: *quod accidit in his qui adoptantur.*

Iust: *quod accidit in his, qui, cum sui iuris fuerunt, coeperunt alieno iuri subiecti esse.*

His Iustiniani verbis cum illa Paraphraseos *αὐτεξούσιοι* et *ὑπεξούσιοι* optime respondeant, quibus eius

---

[1]) cf. indicem nominum editioni Gai Institutionum a Kruegero et Studemundo curatae alteri adiectum (p. 203 sqq.).

[2]) cf. praeterea Choerobosci grammatici dictata in Theodosii canones, ut intellegas plerisque, qui illo tempore in usum scholarum scripserint, hoc loquendi genus familiare fuisse. Saepissime enim ibi talia invenies, qualia sunt *τὸ δὲ ʽοὐδετέρουʼ πρόσκειται, πρόσκειται ʽβαρύτοναʼ διὰ τὰ περισπώμενα,* alia innumerabilia. Atque similis usus exempla etiam ex iureconsultorum graecorum scholiis in Basilica (ed. Heimbach) congeri possunt.

sententiae summa continetur — nam υἱοθεσία exempli gratia addita est neque omnino alia exempla afferri potuerunt, cum ea sola esset condicio, qua sui iuris persona alieno iuri cum libertate subiecta fieri posset — nihil obstare existimo, quominus hoc quoque de suo Paraphrasten addidisse contendamus.

4) Idem sane de eo loco, qui in Ferrinii argumentatione statim sequitur, statuendum est. Nam illud, quod Par. III 2, 1 legitur: καλοῦνται . . . . ὑπὸ τοῦ δωδεκαδέλτου, quocum Gai verba *dat lex XII tabularum* (III 11) consentiunt, cum Iustinianus de lege quasi κατ' ἐξοχήν dicat non additis verbis *XII tabularum*, prima quidem specie apte quadrare videtur ad Ferrinii argumentationem; verum ceteros locos, ubi de eadem lege dicitur, si inspexeris, illa appellatione (δωδεκάδελτος) Paraphrasten saepius uti videbis, etsi in latino textu sola *lex* inveniatur: iis scilicet locis, ubi nonnisi de lege XII tabularum cogitandum esse e ceteris satis eluceat: cf. III 2, 5, cuius loci contextus in Gai commentariis omnino non occurrit.

5) Par. IV 3, 13, cuius loci verbum διαφθαρέντα ex Gaio (III 217) in Paraphrasin translatum esse Ferrinius contendit, nullo modo huc pertinere ex iis, quae pag. 23 in adnotatione dixi, apparet.

Rem universam si breviter adstringimus, de quaestione, quantum Gaius ad Paraphraseos compositionem contulerit, hoc statuendum est: in censum eum venire ad eos tantum locos, qui ad iuris historiam pertinent, cetera quae in Paraphrasi leguntur additamenta, cum in Institutionibus Iustinianis desint, ex Gaio graece facto hausta esse nullo modo demonstrari posse. Itaque hanc fere Paraphraseos originem fuisse apparet, ut toti operi pro fundamento essent Iustinianae Institutiones, nonnulli tamen loci historici potissimum argumenti ex Gai Institutionibus haurirentur. Quae praeter haec Paraphrasis plura praebet quam Iustiniani In-

stitutiones — quorum copia maxima est —, ea magistrali operis indoli et peculiari auctoris arti scribendi tribuenda sunt.

Nam quamquam cum Gaio easdem fere res tradit Paraphrastes et interdum tam similibus verbis utitur, ut fieri vix possit quin eius librum longinquo usu sibi familiarem factum inter scribendum nonnumquam evolverit, tamen rarissime, ut vidimus, vestigia eius persequebatur.

Paucis denique locis interpolationes in Paraphraseos contextum irrepsisse statuendum erat; sed de his quominus confidenter agam, tironis me prohibet modestia.